

**De purgantibus : in secunda variolarum confluentium febre, adhibendis
epistolae / [John Freind].**

Contributors

Freind, John, 1675-1728

Publication/Creation

Leyden : J.A. Langerak, 1734.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e3wyftu7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOHANNIS FREIND,

MED. DOCT.

DE

PURGANTIBUS,

IN SECUNDA VARIOLARUM
CONFLUENTIUM FEBRE,

ADHIBENDIS

EPISTOLÆ.

Editio Novissima,

Cum Indice Necessario.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOH. ARN. LANGERAK, 1734.

23,694/A

B. J. 7 1/2
1751.



A M I C I S S I M O,
CLARISSIMOQUE VIRO,
RICARDO MEAD,
JOHANNES FREIND,

S. P. D.

SÆPENUMERO, Vir Amicissime, laudavi fortunas meas, sæpiusque sum laudaturus, quòd ab aliquot jam annis magna mihi tecum intercesserit necessitudo, studiorumque adeò in eâ, quam profitemur, arte quædam quasi conjunctio: nam, cùm in cæterâ vitâ, tum maximè in Medicinæ munere fungendo, idem sentire atque idem judicare, res est longè jucundissima. Permagni quippe interest, cùm consilia Medica miscemus, consiliorum socium habere peritum artificem: neque hoc tantùm ad salutem ægrotantium instaurandam, sed ad eas molestias,

A

quas,

quas, ut sunt res humanæ, nos ipsi in curatione morborum paulò magis difficili ferè experimur, leniendas. Quid quòd ij, qui in Medendi Scientiâ penitiùs eruditi atque instructi sunt, iidem à malis artibus abhorreant, omnique notâ illiberali reperiantur maxime immunes. Quippe cum illecebris ita parum pateant, ut vel pravis hominum moribus fervire, vel eorum gratiam lenociniis aucupari nolint, nihil unquam à se aut ab honestate alienum, aut etiam dignitati suæ injurium fieri patiuntur. Quicquid enim existimationis famæque hoc obsequio partum est, id omnino imbecillum fore & caducum arbitrantur: tum autem rebus suis optimè consuli, tum veram gloriæ viam iniri, cum scientiâ freti, cum usu exerciti, cum indecoras quascunque machinas dedignati, ipsi de se suâque, quam professi sunt, arte dignè sentire videantur.

Itaque qui in hâc, quemadmodum in illâ sive pingendi sive sculpendi disciplinâ cupit excellere, ingenium ad id, quodcunque persequi volunt, fictum quasi & accommodatum habeant necesse est: nemo enim, quantumcunque studii accesserit, medicus fieri potest, nisi & etiam quodammodo nascatur. Sunt quippe in hâc arte multa perobscura & recondita, multa impedita & subtilia, quæ nullis præceptis

ceptis perfectè edoceri, nullâ explicatione plenè cumulatèque tradi possunt: ita ut, quamvis plurima ex scriptis Medicis, in quibus quidem versatissimus esse debet, hauserit Medicus, plura tamen sint ipsius iudicio & perspicacitati relinquenda. Atque hoc quidem in nullâ re magis elucet, quàm in *pulsuum* varietate internoscendâ: quippe qui tactum hunc eruditum habent, eum non ex magistrorum dictatis, sed ex diuturno usu, & vi quâdam acuminis proprii fluxisse sentiunt. Adeò nusquam aliàs æquè percipitur ac in medicis rebus, quid demum subtilitas ipsa naturæ valeat, & curiosa quædam in iudicando felicitas. Quid igitur? an ii, qui indolis levissimæ maximèque defultoriæ sunt, in hâc scientiâ magni quid facere posse videntur, in quâ, non nisi multâ cum sagacitate, studioque acri & perpetuo, elicienda est aliqua rerum maximè difficilium conjectura? An ij, qui pingui minervâ præditi sunt, & tarditate ingenii laborant, ad hanc solertiam, quæ medentibus inesse debet, acquirendam satis idonei accedunt? an eos denique in re, si qua est alia, reconditissimâ exquisitumque iudicium exigente, acutè cernere posse existimas, quos, si in cæteris rebus periculum feceris, communi sensu planè carere fatearis? Videmus tamen quotidie, ut multi, qui

i. Ab. ile

aliàs omni solertiâ vacui sunt, de rebus medicis judicandi intelligentiam se consecutos esse jactitent: utque iidem propter id ipsum, quòd hâc intelligentiâ indigeant, eum in medendo, quem semel fortè arripuerint, traxerint constanter persequantur, inque eâdem quasi orbitâ, sine progressu aut profectu ullo, consenescant.

Sed & hanc quoque experta est res medica fortunam, ut, qui in aliis tum disciplinis tum artibus, etiam illiberalibus, mediocre nomen adepti sint, ii repente in principem medicorum ordinem, invitâ naturâ, irruere præseferant. Sint illæ sanè ad speciem perbellæ, atque curiosæ; quam verò affinitatem cum morborum contemplatione, cum medendi solertiâ habeant, haud facile est divinare. Certè non aliam habent, quàm cum Juris studio: at non repertus est adhuc quisquam Legum studiosus, qui unquam his artificibus viam sibi ad forum muniri posse somniaverit. Istæ scilicet iis, qui suas in scenâ hâc nostrâ medicâ partes acturi sunt, reservantur elegantia.

Hoc quoque in causâ fuisse existimo, cur nonnullis jam à seculis medicorum plurimi, quanquam & ingenio & eruditione satis valuisse comperti sunt, cogitationes tamen suas aliò contulerint, & in quâvis potius arte excel-

excelluerint, quàm in suâ: itaque excelluerint, ut ex iis permulti Historicos, Oratores, Poëtas, in eâ ipsâ, quæ illorum propria est, scribendi facultate superârint. Maluerunt opinor, cùm iniquam de iis, qui medicinam professi sunt, hominum sententiam passim ferri perciperent, ad alia studia confugere; quorum ope, uti animo suo sciendi avido liberius indulgere, ita semet magis populari gratiæ commendare liceret. Quasi verò in hâc nostrâ, quæcunque fuerit, supellectile non sit, quod acutissimum ingenium exerceat, quod discendi aviditatem expleat, quod totas hominis vires, quantæ eæ cunque demum fuerint, desideret.

Atqui hæc Medicinæ studentium querela fanè pervetusta est, & *Galen*i præcipuè ætate familiaris: is enim, qui insigni suâ cum laude, cùm in cæteris disciplinis, tum in Medicis præsertim, haud mediocrem operam curamque consumpserat, non sine aliquâ indignatione queritur, a perplurimos suo tempore, vel mane salutando, vel vesperi comessando, vel aliam adulationis viam sectando, magni nominis medicos evasisse: literas verò artesque liberales ita parum Medico, uti tum invaluit vulgi opinio, profuturas puta-

fi,

a *Method. Medend. Prefat.*

ri, ut Fabri tum Lignarii tum Ferrarii, Sutores, Tinctores, ^b *Lintearii*, proprio Magisterio relicto, in Medicæ artis munera infiluerint: eos verò, qui pictoribus & unguentariis mixturas suas præparabant, etiam de primo loco certasse. Eâdem arrogantia, eodemque prope seculo *Thessalus* iste, Empiricorum audacissimus, quem idem *Galenus* ^c sub patre lanas carpente in *Textrina* educatum, atque inde *Lanificorum* elocutionem consecutum esse memorat, literarum omnium rudis, novam sectam condidit, damnatisque veterum omnium placitis, ^d & rabie quâdam in cæteros omnes inVectus, se unum esse Medicum jactitabat; seque, hominem utcunque ex *Officina* reptantem, sine arte, sine literis, Medicinæ formam universam uno libello posse tradere confisus est. Vulnera omnia, utcunque dissimilia, pari modo tractavit, ^e *unguinosa* scilicet & *glutinosa* imperans: multisque nugacissimis versuum millibus effusis, *duos* tantum esse in omni victus ratione morbos contendit, nempe fluxum & clausum: fortasse etiam, si paulò plus sapuerat, *duo* tantum remedia morborum omnium posuisset. Atque hic quidem error, quem

^b *Method. Medend. Prefat.* ^c *Ibid.* ^d *Plin. Hist. Nat.* 29. 1. ^e *Method. Medend. Lib.* 6.

quem vel puer, in simplicioribus disciplinis eductus, statim adverteret, eò insolentiæ *Theſſalum* istum evexit, ut magnum & præclarum quid se invenisse putaret. Ita ferè homines inepti atque futiles, neque acumine ullo, neque autoritate valentes, in iis ipsis rebus gloriâ se & prædicatione efferunt, quæ cæteris omnibus risum movent.

Ne itaque Te avertant ab instituto sive scribendi consilio scurrarum convitia: Tecum utique reputantem, Viris ingenio excellentibus hoc sæpe accidisse, & quidem sæpissime in hâc nostrâ quam sequimur viâ. Ita suum habuit *Harvêus Parisanum*, hominem futilissimum infulsissimumque: nec suus quantulus is cunque fuerit, *Willisio* defuit *Meara*. Quin perge literatos omnes demereri, & quæ apud te premis, de *Variolarum* omni genere jam diu meditata, deprome tandem, ut intelligant omnes, quantâ in gratiâ atque pondere esse debeat, quantumque ab *Empiricorum* somniis distet, nullis innixa commentis, *Historia Medica*.

Interim sinas, ut ad id opus absolvendum hâc Te Epistolâ quasi provocem; in quâ, ne in eam, quam Tibi relinqui velim provinciam, incurrere videar, nihil de *Variolis* dicturus sum, nisi de earum *curatione*; eâ præsertim, quæ, *secundâ* jam Febre invalescente,

Medicinis *purgantibus* instituitur. Ad quam quidem curationem denuo explicandam libens accedo. Quippe cum hoc purgandi institutum novum plerisque atque inauditum videretur, nonnullique ea, quæ de hâc re exposuimus, vel parum intelligerent, vel perversè interpretarentur, non malè credo merebor de meis popularibus, si in argumento tam gravi, à Medicis quidem prorsus intacto, maximè tamen ad salutem hominum pertinente, paulò quid amplius elaboraverim. Hujuscæ siquidem Medicinæ auxilio sanctissimè affirmo me multos sanitati restituisse, permultos à Te esse itidem restitutos satis scio. Sed quoniam hæc res varias habet cautiones, morbique signa omnia cum diligentia atque judicio notanda sunt, exponam ut potero, quemadmodum ii, qui in hâc curandi ratione minus versati sunt, eam tandem aliquando percipere ac consequi possint. Hoc ut efficiam, ponam in medio Historias quasdam singulares: ita quippe tum continuata illa affectuum series atque connexio, ad quam maximè in ægrotis tractandis attendere oportet, distinctiùs elucescet, tum ipsa medendi via eruetur faciliùs. Neque verò mei sive otii sive negotii fert ratio, nec res ipsa postulat, ut omnia exempla simul proferam: satis erit ex iis tantummodo casibus, in quibus,

bus alterum mihi adjunctum consilii focium atque adiutorem habuerim, præcipuos excerpere. Observationes denique, quas vel ad morbi decursum, vel ad curationis modum meliùs intelligendum conducere posse arbitror, sic interferam, ut & varietati, & legentium utilitati simul consulam. Idem mihi, siquid à me minùs accuratè dictum sit, faciliùs ignoscent: quòd & mihi vacui temporis non nimium suppetat, & res ipsa, doceri contenta, ornari nolit.

Id obiter interim monendi sunt, aliquas ex his, quas descripturus sum, Variolis fuisse ex *Cohærentium* genere: quæ quidem à *Confluentium* naturâ ita parum abhorrent, ut eadem ferè sui signa præbeant, eandemque planè, maturescendi tempore, febrem accendant. Quin & perrarò f ea, quæ *Confluentium* propria est, etiam in *Cohærentibus* deficit Sputatio: ita ut rectissimè edixerit *Mortonus*, *Salivationem jure merito habendam esse symptoma morbi maligni vel saltèm medi, ubi febris recidiva, & eventus saltèm anceps expectari possit.* g Nimirum quod periculi imminet, non tam ab ipso pustularum genere, quàm à numero prorsus oritur: qui quidem si ingens fuerit, idem de rei exitu timor subesse debet, five

f Vid. Hist. 1. g De Variol. 176.

five eæ confluerint, five non. Etiam numerus ipse ad hoc præfagii faciendum, non in *facie* modo, ut nonnulli volunt, sed in cætero quoque corpore attendi debet. Quare utraque tam *Cohærentium* quàm *Confluentium* Species, uti in reliquis perparum discrepat, ita similem omnino curandi viam desiderat. Hoc quoque observatione haud indignum, quòd, utcunque morbi, quorum hîc pertextitur Historia, sint omnino simillimi, alii tamen alia cùm ingravescendi tum decedendi tempora habuerint. Hujusmodi fortasse Variolas quispiam *Anomalas*, & quasi extra ordinem positas haud absurdè appellaverit: at sunt tamen eæ, quæ omni ferè tempestate plurimùm occurrunt, omnibus ferè ætatibus sunt communes. Neque vidi adhuc hujusce generis Variolas, quæ ad hanc dierum regulam magis exquisitè sint compositæ. Nonnunquam enim in ipso morbo dierum ratio mutatur; fitque gravior, qui remissior esse consueverat. Ita ut, is maximè fallatur, necesse sit, qui temporum momenta nimis exiguè & exiliter ad calculos revocavit: per multa quippe intercedere solent, quæ eam in morbis hisce varietatem faciliè pariant, ut ægrotus interdum hoc, interdum alio die, maximo in periculo versetur.



HISTORIA

P R I M A.

VIR familiae prænobilis & perillustriſ, Variolis iſtius generis, quas dicimus *Cobærentes*, graviter correptus eſt. Præceſſerant nauſea, Vomitus & capitis dolor immanis. Valetudinis curam habuerunt Medici in agro *Eboracenſi* celebres, Doctores *Neal* & *Cotes*. Ego *Sexto* demum die acceſſi. Pridie invaſerat delirium; puſtulæ omnino pallidæ; facies paulò depreſſior. Itaque à Medicis *Pulvis ex Chel. Cancr. C.* datus eſt, prudenterque admotum *Nuchæ Veſicatorium*. Inveni adeò eum animo maximè alienatum, febre tamen, quod hoc morbi tempore in delirantibus perrarum eſt, prorfus vacantem. Puſtulæ, quæ erant admodum confertæ, vix omnino elevatæ, atque etiamnum ſubpallidæ. Itaque in hoc tanto discrimine adhibuimus brachiis utriſque *Veſicatoria* perampla; hancque Medicinam præſcripſimus.

℞. *Theriac. Andromach.*

Pulv. è Coel. Cancr. C. ana ℞ j.

Rad. Serpentar. Virg. gr. xv.

Syr. Caryophyllor. q. s. M. F. Bolus statim
cap. cum Julap. perlat. præscr.

Hæc cum ter sumpfisset, mane proximo, die scilicet *Septimo*, pustulæ se denuo extulerunt, earumque extremi margines rubescebant; interstitia etiam colore florido suffusa.

Vides, quàm mira præstiterit paulò calidior Medicina: &, si quod verum est fateri volumus, hæc medendi ratio *Cardiacis* vehementioribus instituta, quàm plerique scriptores nimium deprædicant, *Mortonusque* ut Specificam habet, vix cum judicio adhibetur, nisi in hoc propè unico Variolarum tempore, ubi scilicet eæ aut non fatis proruperint, aut etiam retro cesserint. Ideo *Crocum* non nisi *bis terve*, idque *urgente necessitate*,^a adhiberi jubet, maximus *Arabum* magister, *Rhazes*. Hoc auxilii genus fit valentius, cum *Opiatis* commixtum: quæ quas vires in omni pustularum eruptione promovendâ habeant, primus, contra communem sententiam, videtur sensisse *Sydenhamus*. Ita parum in hoc remedio planè divino dominatur frigida illa vis, uti nonnullis placet, quæ humores omnes constringat, & reprimat.

Vespero adeo, *secunda*, ut dicitur, Febris deprehensa est accedere: neque adhuc quicquam remiserat delirium. Quamobrem Nuchæ denuo appositum est Vesicatorium. Nunc iterum ad medii generis remedia deflexum est, & à somniferis

^a *De Pestil. c. 7.*

niferis calefacientibusque temperatum. Victus tenuis, forbitionesque vel Ptisanæ vel Oryzæ, quæ diluerent, pro libitū indultæ. Noctem eam maximis in molestiis egit: ita ferè nulla erat in somnum propensio. Mane, die *octavo*, aliquantulum ad se rediit: sed eæ induciæ fallaces & perbreves: nam, horulâ vix elapsâ, in delirium recidit. Pustulæ tamen pure maturrimo repletæ: licet, si magnitudinem spectes, valde mediocres. Facies haud omnino in tumorem elata: cervix sola perpaulum subtumuit. Toto morbi decursu nulla sputatio: quod quidem, cum ea hujusce generis Variolis perpetuò adesse *debeat*, signorum omnium, judice *Sydenhamo*, longè infelicissimum ^b. Febris admodum exarsit; pulsus velox & incitatus, plenus tamen ac validus: Inquietas maxima, furorque quasi infani. Quocirca admotæ sunt Cucurbitulæ, ita ut fluxerit sanguis ad 3 vj. Apposita etiam Carpis Vesicantia. Quin & *Enemate*, vesperi, adhibito bis mota est alvus. Ita paululum temporis satis liberaliter quietum habuit; pulsusque ad temperiem magis compositus: idem tamen per intervalla mentis error. Sed, utcunque morbus tum conquiesceret quidem, rem haud ita esse in vado putavi, quin in deterius sponte prope suâ esset itura. Ideo cum inter nos, quoniam subesse videretur periculi timor, differuimus; dixi me in eâ esse opinione, ut, siquid hujusmodi acciderit, leni aliquâ potione subduceretur alvus. Illi extemplò se & hanc curandi viam tentâsse aliquando, & nunc etiam probare haud dubitanter professi sunt. Id nimirum,

quod

^b *Variol. Reg. Art. 67. 129, & 135, 149*

quod suspicati fumus, obrepfit: caput enim, nocte nondum intempestâ, ita ingravescere cœpit, ut, mane, veterno planè obtorpuerit. Subfilierunt interim tendines; febris immaniter sæviit; pustulæ exsiccatae; neque in manibus ullum, neque in pedibus, nedum in facie tumoris vestigium; periculumque vitæ maximum imminebat. Nam illud fanè vix unquam fallax *Sydenhami* præsagium, ægrotis scilicet hoc morbi tempore *protinus moriendum esse*, nisi sputationis aut deficientis aut interceptæ vicem subeat partium harum *insignis tumor*^c. Hic fuit nono die, isque tantum non deploratus, morbi status. In his angustiis intervenit Vir ingenio judicioque acerrimus, cujus ut mihi Amicitia jamdudum jucundissima, ita & mors pariter nunc perluctuosa, *Jacobus Keil*: Illius verò cum eadem esset nobiscum opinio, idemque de curandi ratione sensus, sic morbo occurri oportere censuimus. Caput illico tondetur, & circumquaque appositum Vesicatorium. Sanguis iterum cucurbitulis ad sex uncias eductus. Ene-
ma acre adhibitum est, & quatuor ferè post horas repetitum: unde alvus quinquies defedit. Hæc aded id levaminis attulerunt, ut & febris paululum remitteret, minusque jam premeret Coma. Verum, ne brevi iterum in pejus ruerent omnia, quod prorsus erat timendum, purgatione jam tum uti decrevimus. Neque nos consiliis hisce nimis præcipites temerè rem gefisse quis arguat, quòd ausi simus, etiam *nono* haud elapso die, hanc ventris solvendi viam experiri: quippe cum plus satis liqueret, ægro-
tum,

^c *Variol. Reg. Ib. 132, 135, 148.*

tum, nisi ea interposita subvenerit, craftinæ luci parum esse superfuturum. Breve quidem spatium! intra quod siquid non profuit, æger fuisset extinctus. Etenim in hoc casu non tam dies curiosius numerandi sunt, quàm cubantis conditio expendenda: siquidem medicina non ad temporis mensuram, sed ad morbi momenta accommodari debet: & quò celerius gravia hæc mala corripunt, eò maturius quoque auxilia rapienda sunt. Neque temporis præceptum perpetuum esse, neque alia de hoc purgationis instituto statui potest regula, quàm quòd, *ubi semel exaruerint pustulæ*, quodocunque medentis acumine dignus inciderit nodus, primâ quâque opportunitate eam adhibere maximè conveniat.


Cùm igitur in has, quas recensui, difficultates delaberetur ægrotus, horâ circiter quartâ Pomeridianâ sequentem haustum præscripsimus.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥ ij.
Sal. Mirabil. Glauber. ℥ ij.
Syr. de Rhamno Cathartic. ℥ iij. M.

Id partitis vicibus, trium ferè horarum intervallo, assumptum est: unde postquam alvus *sexies* descenderat, mane, die *decimo*, simul ex integro evanuit tum Coma, tum Febris.

Ita perbrevis *duodecim* ferè horarum spatio, eum, qui astantibus jam moribundus & quasi depositus videretur, in certam adeò salutis futuræ spem ereximus, ac si de vitâ nunquam fuisset periclitatus. Itaque, postridie, magnâ cum voluptate discessimus.

Liceat hâc in Historiâ quædam animadversione dignissima adjicere: morbique notas præcipuas paululum retractare, unde quidem mihi aliqua fiducia affulserit, medicinæ ope illum posse ex hoc tam gravi periculo expediri. Pustularum color etiam in summo discrimine probabilis, oræque extimæ, cum jam exaresceret facies, tam in pectore, quam in artubus, satis floridæ. Urina, utcunque non ita largiter profluxerit, ab ultimis quinque diebus sedimentum usque deposuit: idque constanter, licet potionibus, quas recensui, diluentibus abunde uteretur. Hæc quidem signa haud futile; sequuntur tamen alia, quæ securitatem certius promittunt. Aberat omnino spirandi molestia: pulsus, etiam extremâ gliscente sive febris sive delirii vehementiâ, nunquam intercidit, sed uti pleno impetu ferebatur, ita post evacuantia cujuscunque generis adhibita, & ictu valentior deprehensus est, & intervallis etiam distinctior. Pulsu adeò & spiritu ad hunc modum constitutis, nunquam ferè me fefellerunt purgantia, etsi cætera mala gravius sævirent, terroremque incuterent. Mallem tamen pulsu potius aliquantulum imminuto id auxilii genus tentare, quam si multus accesserit in spirando labor. Utcunque autem horum altero signorum vel utroque repugnante anceps omnino remedium, aut fortasse aliquando nullum præbeat purgatio; (quid enim in ipsis lethi faucibus valitura sit medicina? utroque tamen favente simul & conspirante, cæteris licet periculum minantibus, rem hâc maximè viâ geri posse multiplici experimento didicimus. Itaque ad hanc potissimum regulam dirigi debet medentis judicium.



HISTORIA

S E C U N D A.

VIR triginta circiter annos natus, literarumque studiosus, habitûs pleni atque opimi, signa Variolarum perſenſit. Multa ſcilicet de capite, & de ventriculo queſtus eſt, quaſi hîc atque illic pondere quodam opprimeretur. Artus omnes laſſitudine torpebant. Oculi lachrymis ſtillabant. Eruperunt adeò Variolæ cohærentium planè generis. Medici munus obiit Vir egregius, *J. Keith*. Ego ad ægrotum accerſitus, die *tertio*, inveni puſtulas non in facie tantùm, ſed etiam in univerſo corpore conferſiſſimas. Noctem inquietiſſimè tranſegerat; ita quidem ut interdum comate, interdum delirio tentaretur. Acceſſit gravis ſpirandi labor. Abſoluta jam eſſe videbatur ipſa eruptio puſtularum; quæ tamen ita parum eminebant, ut adhuc intra cutim hæerent. Earum margines admodum inflammati, & quaſi ſanguine ardentes. Qui quidem rubor, ubi intenſior fuerit, à *Rhaze*^a mala inter ſigna haud ponitur. Pulſus celer & magnus, febrisque fatiſ excanduit. Imperatum eſt, ut *Cardiacis* mitioribus uteretur, quæ pulmones maximè liberarent, aſſueſceret. Adhibitum etiam Nuchæ Veſicatorium. Nocte totâ
haud

^a *De peſte, c. 15.*

haud moleste se tulit: sed potius ex morbo ortus sopor videbatur, quàm aliqua, quæ naturam reficeret, quies. Adeò ut die *quarto* omnia fuerint pæne eadem, nisi quòd pustulæ paulò altius essent elatæ. Post meridiem vehementer increbuit & spirandi molestia, & in soporem propensio. Venam igitur statim aperiri jussimus, detractæque sunt sanguinis $\frac{3}{4}$ x. Unde spiritus multò facilior, pulsusque ad normam magis redactus. In cæteris nulla mutatio.

Fortasse etiam hoc venæ secandæ consilium quibusdam, rationem temporis scrupulosius inuentibus, nimis audax videbitur, licet id in habitiore corpore factum sit, multumque sanguinis continente: quasi verò nimix esset audaciæ etiam anceps remedium experiri, cum non tantum de morbo aliquatenus levando, sed de vitâ ipsâ fuerit quæstio. Atqui *Arabes*, qui de hoc morbo primi præcepta tradiderunt, hanc venæ incidendæ viam, etiam post egressas Variolas, *ubi humores redundaverint*, aut ipsi secuti esse, aut saltem ut sequerentur alii, authores fuisse videntur^b. Itaque medici, qui deinde per *quingentos* circiter annos nihil ferè agitabant, nisi quòd acceperant, id unicè curantes, ut hæc *Arabum* monumenta fideliter exscriberent, easdem regulas posuere; ita tamen posuere, ut, quod præceperant, vix in usum eos traxisse appareat^c. Tandem medio ferè sæculi *decimi sexti*,

^b *Rhazas, Contin. 421. De Peste, c. 8, & 14. Avicenna, Tract. 4. de febr. c. 10. Alfaravius, 141. d.*

^c *Francisc. de Pedemont. 137. Bernard Gordonius 54. Petrus de Bayro de Peste 766. Joh. de Conco Regio, Marcell,*

ti, *Gometius Pereira*^d, *Metbymnæus*, quem sæpe à viâ tritâ haud perperam declinâsse comperio, primus, uti reor, *Arabas* quasi in hâc re nimium cautos arguit, disertèque pronunciat, *si vel adsit inflammatio vel plenitudo*, etiam proruptis variolis, sanguinem fidenter esse mittendum: omissâ porrò hâc medendi viâ, pueros quamplurimos, *aut sanguini ex naribus profluvio, aut ulceribus periisse*. Hoc quidem experientiâ sæpissime comprobatum: id verò adjecisse poterat, sanguinem hoc morbi tempore ex naribus, quod & *Rhazes*^e innuit, aut ex uterinis viis fluentem per multis saluti fuisse: manifesto fatis indicio, quòd hoc auxilii genus natura aliquando desideret. Eandem curandi viam institerunt, siquando Variolis jam egressis malus aliquis affectus intervenerit, medici apud *Gallos* eâdem ferè tempestate celeberrimi, *Hollerius*^f, *Paræus*^g, *Botallus*^h: quorum ultimus quidem hoc Venæ secandæ consilium, relictum jamdiu & pene oblivione obsoletum, magnâ cum suâ laude revocavit, & ad morbos quamplurimos haud infelicitè applicuit. At idem circa tempus *Cbymicorum* Fabulæ hominum animos falsis terroribus implêrunt, & quasi fascinatione quâdam tenuerunt, duce potissimum *Paracelso*, præstigiatorum vâsanissimo: iique, qui arcanis omnia gerivolunt, ita humanâ imbecillitate sive usi sive abusi

cell. Donatus, 156. *Nicolaus Florentin. Tr. 2. 152. Æmil. Campolong. c. 43.*

^d *Nova Medicina*, p. 904. ^e *Continent. lib. 30. p. 421.* ^f *Lib. 2. p. 66.* ^g *Lib. 19. 2.* ^h *De Curatione per V. S. c. 5.*

abusi sunt, contraque sanguinis missionem ita debacchati, ut medici, qui ratione & judicio valerent, non ausi sint, etiam in maximo vitæ periculo, venam secare. Qui tamen, ne nihil ex arte facere, ægrotisque prorsus deesse viderentur, non destiterunt vel hirudines admovere, vel cucurbitularum ope humorum copiam minuere ⁱ. Neque infrequens ea sanè medentium infælicitas, quibus vel parum constantiæ vel authoritatis sit, ut aliorum voluntati potiùs obsequi, quàm suo stare judicio malint. Ita bonus Vir, *Ludovicus Mercatus*, qui utcunque, *si novâ putredine oriantur, audacter, etiam si plures sint Variolæ, sanguinem mitti edixerit*, mox varias hæc in re difficultates persentiens, & morbi fortassè *fraudentiâ* deterritus, subito se revocat; hæsitansque & in decreto suo fluctuans, hunc etiam gentibus scrupulum injicit: neque enim, inquit, *facile inventu est, quid sit agendum: nam videtur longè gravius febrem iterum reverti factâ semel crisi; ac si sanguinem mittas, calumniâ non vacabis, & periculo; si prætermittas, certius est discrimen*^k. Verùm initio ferè sæculi *decimi septimi*, his Chymicorum præstigiis minùs valentibus, plurimi, *Gometium* vel de industriâ imitati, hanc sanguinis mittendi rationem tenuerunt. ^l Disertissimè verò omnium de

ⁱ *Joseph. de Medicis. 42. Diomedes Amicus. c. x.*

^k 588. ^l *Diomedes Amicus, Tract. de Variolis, cap. 10. Anton. Ponce de Sancta cruz, Imped. Mag. Aux. 3. 17. Horstius, de Variolis. Joseph. de Medicis, de febr. 42. Ranchinius, de puerorum morbis, 275. Zacutus Lusitanus, 786. Angenius, lib. 10. 3. Petr. Paschalis*

de hâc sanguinis detractiōne locutus est *Epiphanius Ferdinandus*; qui cū regulas haud male posuisse videtur, verba ipsa non pigebit de-
 ,, scribere.^l Nos autem clariùs hanc de Venæ-
 ,, sectione doctrinam illustrabimus: quoties e-
 ,, nim est urgentiæ scopus, omni tempore est
 ,, mittendus sanguis, dummodo adsint indican-
 ,, tia: nam *1mo* cū apparent Variolæ & mor-
 ,, billi, & febris non cessat, neque alia sym-
 ,, ptomata gravia, tunc licet mittere sanguinem:
 ,, *2do* cū apparuerunt per unum diem, deinde
 ,, delitescunt, tunc statim mittendus sanguis.
 ,, *3tio* quando sunt alia gravia symptomata, præ-
 ,, ter symptomata variolarum, ut Angina, ob-
 ,, stinata Phrenitis, *Letbargus*, Dysenteria, gra-
 ,, vis Ophthalmia, vel quivis alius periculosus
 ,, & gravis affectus; & sic *Rhazes* mittit sangui-
 ,, nem in Variolis & morbillis, ubi adest *Dysen-*
 ,, *teria.* ,, Itaque in *difficili spiratione*, aut ubi
 in *Variolarum maturatione inflammatio ingruat*
summa, aut tumor *Erysipelatodes caput occupet*,
 venas vel sub *linguâ* vel sub *auribus* aperiri ju-
 bet *Mayernius*^m: quâ quidem viâ, sanguine ad
 ℥ xx. effuso, Vir acerrimi judicii *Comitissam*
Bedfordiæ jam jam *moribundam* periculo eripuit.
 Neque alia fuit curationis ratio, quam his in ca-
 sibus maximè secutus esse videtur, *Clinicorum*
 haud infimus, *Riverius*ⁿ; qui, cū ægros ut
febre continuâ putridâ laborantes tractandos esse
 cen-

schalis, 117, 463. *Job. Chicotius*, *Epist. de Variolis*,
Heurnius, *Apb.* 2. 15. *Jul. Caf. Claud. Emp. Rat.* 286.
Bartholin. Cista Med. 601. 1 *Casus Medic.* 78. m *Pag.*
 449. n *Lib.* 17. 6. 2.

censeat, venam *semel* fecâsse parum contentus, eam *iterum* aliquando aperiri jubet, *ut detractâ portione oneris, reliquum à naturâ facilius expellatur.* Quin & recenti memoriâ, iisdemque prope temporibus, tres trium maximarum gentium, *Hispaniæ* ^o, *Galliæ* ^p, atque *Britanniæ* ^q, Reges, venâ *iterum* sectâ, ex hoc difficili Variolarum morbo evaserunt. Ita non modò his in regionibus, sed in *Italiâ*, & ad *Hyperboreos* usque invaluit hæc Venæ secandæ consuetudo, siquando Variolis licet prodeuntibus, malum adhuc ingravesceret. Itaque vides *Sydenhamum* nostrum accuratissimè de curatione Variolarum differentem, utcunque huic Medicinæ minùs faveret, eam tamen imperâsse, si aut facies parum intumuerit, aut accesserit Phrenitis^r. Unde mirari subit id auxilii genus *Mortono* ita displicuisse, ut illud in hoc morbi stadio prorsus repudiârit^s: sed ille fortasse, cùm morbum ipsum à *Venenato* quodam *miasmate* proficisci contenderit, parum sibi constare videretur, si sanguinis detractionem probaverat: itaque in eo totus est; ut morbi virus *Alexipharmacis*, atque *Antidotis* expugnet. Aliorum fortasse alia ratio, qui scilicet, Variolas nihil nisi naturalem quandam humorum *Crisin* rati, naturæ suis fatis viribus, ut illi censent, instructæ ferè omnia permittunt; ita ut medicus non tam uti Artifex atque adjutor, quàm spectator merus astare debeat. Quasi verò non essent, ut certè sunt, in Variolarum decursu tempora, in quibus, etiam-

fi

^o *Carolus II.* ^p *Ludovicus XIV.* ^q *Carolus II.* ^r *Pag.* 153. ^s *Pag.* 201, 204.

si haud infeliciter processerit eruptio, medici iudicium valeret: qui, re in deterius inclinâtâ, cum cætera provideret, tum hoc maximè dispiceret credo, quale futurum esset à sanguine detracto auxilium. Quid enim absurdius, quàm, ubi certum alioqui periculum imminet, dubitare, an ea sit adhibenda Medicina, quæ sæpissime quidem salutem ægrotanti attulisse comperta est, medentis autem spem aliquando fefellerit? Ita verissima est illa *Hippocratis* sententia, quòd, ubi *morbis sit periculosissimus, in his periclitari oporteat: si enim successerit, sanum facies; sin minus, quod etiam aliàs futurum erat, id ipsum perpetitur* ^t.

Sed ut ad ægroti Historiam revertar. Mane, die *quinto*, sopor adhuc ingravescebat: rediitque per intervalla delirium: pustularum progressus nullus. Subsilierunt tendines, totumque corpus sæpe intremuit. Applicata sunt utrique brachio Vesicatoria. *Sexto*, horam circa undecimam, defecit & loquendi & deglutiendi vis: pulsus non æquis intervallis motus, aliquando & intercisus. Hoc modo plusquam bihorium transegit. Quanquam nunc in ultimo discrimine versaretur, utpote qui jam obmutuit, & spiritûs difficultate quasi strangulatus fuit, tamen eum ne sic quidem quasi deploratum deseri oportere putavimus; certi, quid valere posset Medicina, experiri. Cucurbitulis itaque admotis sanguis ad z viij. missus est: unde cerebrum aliquatenus recreatum, & spiritus liberior. Pulsus invaluit, magisque intra numerum movit. Nunc &

& oblata deglutire poterat: quare magna potionum copia imperata est. Tamen ne verbum quidem emisit, nisi quis eum prius fuerit allocutus: responsa interim ferè rationis haud expertia. Hodie & sequenti biduo, Medicinam ex Radice *Contrayervæ* & *Croco* confectam adhibuimus. Infra Cubitum, & furis utrinque applicata Vesicatoria. Sero vespere, pustulæ jam primùm turgescere cœperunt.

Septimo, Pustulæ tumentiores; quarum aliæ pure distentæ; aliæ vacuas vesiculas referebant: in ipsis marginibus rubor haud ita intensus. Pulsus incitator; febrisque etiamnum inhærebat. Sputatio libera, & copiosa; spiritus expeditior: manebat tamen nimia dormiendi necessitas. Quo quidem affectu *Comatoso*, licèt id nisi errore aliquo graviore in regimine admissio (quod tamen secus plerumque accidit) vix fieri^u putet, nullum tamen deterius esse^x præsa-gium rectè pronunciat *Mertonus*. Idem tamen, ubi in hoc periculi, quodcunque sit, incidere æger, venam secare perperam, uti videtur, reformidat. Quare autem, *Comate* urgente, hoc Venæ secandæ institutum, in primo y morbi stadio probaverit, in secundo aut tertio non item, planè haud intelligo. Sed ut liberè loquamur, nosti in illo scriptore, quanquam de *Variolis* satis multa non sine labore aliquo corraserit, haud rarò desiderari & ordinem, & perspicuitatem, & iudicium: quippe qui sæpe, utcunque prolixus, nihil doceat; sæpius præcepta obtrudat

dat vel futilia vel etiam vitiosa: totam verò medendi rationem ad *Hypothesin* istam, de *spirituum* nescio quo *Miasmate*, à semet ipso confictam ferè semper detorqueat.

Octavo, eadem ferè omnia. Sputatio fatis ex voto processit. Pulsus celer, sed neque humilis, neque imbecillus. Facies omni tumore vacabat. Seri plurimum extraxerant Vesicantia. Toto hoc tempore urina largissimè profluxit, nihil verò quicquam deposuit. Vesperis, ne nunc quidem ullus omnino in facie tumor. Pulsus idem. Urina pallidissima. Neque adhuc sopore, vel febre opprimi desitum. In facie pustulæ ferè exarescebant. Adhibitus est Clyster, unde *bis* soluta est alvus. Iterum Nuchæ appositum Vesicatorium. Noctu sæpius delirabat. Febris exacerbata: pulsusque velocior.

Nono, nulla ferè mutatio, nisi quòd sputa paulò parcius fluerent. Repetita sunt eadem remedia; vesperis Clyster acris injectus; unde alvus *bis* mota aliquid levamenti attulit. Nam vires adeò parum imminutæ sunt, ut pulsus inde invalesceret. Febris tamen haud omnino lenior. Facies penitus exarida: manus perpaululum intumescebant. Noctu Venter *bis* descenderat.

Decimo, eadem propè omnia, nisi quòd cerebrum magis laborare videretur. Horâ itaque decimâ, unanimi consilio sic processimus.

℞. Decoct. Sen. Gereon. ℥ iij.

Cremor. Tartar. ℥ j.

Aq. Pæon. C.

Syr. de Rhamno Cathart. ana ℥ iij.

B 5

M.

M. F. Haustus statim fumend.

R. *Aq. Ceras. Nigr.* ℥ vj.

Cinnamom. Fort.

Tinctur. Croci cum Aq. Ther. pp. ana ℥j.

Confect. Fracastor. sine melle ℥ iij.


M. Cap. Cochl. iij. post singulas dejectiones.

Alvus *quater* resoluta est. Urina colore saturo tincta; jam primùm suspensæ in eâ Nubeculæ; paululum etiam subsidit. Pulsus plenior, & validior; quanquam de celeritate nihil remiserit. Caput etiamnum grave. Micturus, matulam poposcit: semel non sentienti descenderat venter. Inquietus admodum, nonnunquam & aliena locutus. Iterata sunt *Cardiaca* præscripta.

Undecimo, restitit salivæ fluxio. Tendines interdum convulsi. Cucurbitulis eductus est sanguis ad ℥ vj. Vesperi injectus Clyster alvum *ter* exolvit. Cætera planè eadem.

Duodecimo, Urina largiter profusa, probique coloris. Placida & naturalis per trihorium quies. Pulsus uti satis magnus, ita & tardior. Cerebrum aliquâ ex parte levatum. Iterum usus est haustu *Cathartico*, unde *ter* fusa est alvus. Post singulas dejectiones, vegetior factus est, & vesperi omnis sensuum stupor evanuit. Ita ille, qui per *undecim* dies, morbo maximo implicatus, quasi Lethargicus decubuerat, hâc maxime evacnandi viâ veternum febremque excusfit.





HISTORIA

TERTIA.

LICEAT mihi unam aut alteram Historiam retractare, in quibus & Tu mecum sociam operam navâsti, & casus extiterunt singulares.

In Juvene Nobili, more ferè vulgari, scilicet nausæâ, dorsi, laterisque doloribus, & summo ardore stipatæ, eruperant Variolæ; confertissimæ quidem, non in facie modò, sed & toto etiam corpore, ita ut omnibus ferme in locis confluerent, parcius tamen in ipso vultu confusæ. Pustulæ itaque, ut est in hujusmodi re morbi natura, depressiores, & materiâ minus diffluentes. Summâ diligentiam ægroti curam quotidie gessit *T. Crompton*, Medicus *Windsoriensis*: qui itaque inter initia morbi & venam secari, & alvum Clystere solvi jusserat. Cardiacis modicis atque Opiatis usus, ad *septimum* diem sine gravi aliquâ molestiâ pervenit: nisi quod noctu subinde deliraret. Itaque applicata Nuchæ, & brachiis Vesicatoria. Sputatio, *quarto* exorta, ad *duodecimum* satis feliciter processit.

Die autem *septimo*, accessit Febricula, unde somnus paulò turbatior. Quoniam parum profecerant hæctenus adhibita Vesicantia, altera duo Carpis sunt admota.

Octa.

Octavo, Pulsus plus æquo celer. Faciei tumor perexilis. In papulis pus uti exiguum, ita & crudissimum. Magnæ potiones sumptæ. Nulla de gutture, de ventriculo, de capite, de spiritu querela. Nox inquieta, aliquando & intercessit delirium. Febriculæ unus & perpetuus tenor.

Nono, itaque Vesicantia etiam cruribus adhibita. Neque ea sanè vix unquam, hoc difficili præsertim morbi tempore, sine ratione admota: quæ quam vim in omni ferè febrium genere exercent, cùm aliàs satis explicatum sit, haud ultrà nunc persequar. Hæc, ab *Italibus* jamdiu contra febres malignas in usum deducta, primus, uti reor, ad Variolas curandas transtulit *Mayernius*: quorum quidem efficacitatem ita supra cætera valentem judicavit, ut in *magno periculo* novem unà apponi jufferit. Quare falluntur, qui per omnia jucundam ejus disciplinam fuisse concipiunt.

At ægroto non modò Vesicantia adhibita, sed Clyster etiam vesperi injectus, unde *his* demissa est alvus. Noctu somni breves atque interrupti, intercurabatque delirium.

Decimo, facies exaruit; manus nonnihil intumuerunt: sed in his atque in artubus cæteris pustulæ, in unum confluentes, hinc & inde per amplas vesiculas excitârunt; sub quibus permultum puris immaturi fluitabat.

Hujusmodi Vesiculas, *ambustorum ad instar*, sero limpidiore distentas descripsit Sydenhamus^a: quod quidem serum ita peracre fuit, ut carnem

^a *Variol. Anom. pag. 211.*

aliquando *subjectam nigredine*, & *sphacelo* affecterit. Id etiam advertit Vir perspicacissimus, quò melius humorum in hoc morbi genere cruditas intelligi possit, *ægroti res* non ante *decimum septimum*^b salvas fuisse. Id quod etiam ad eandem planè normam Juveni huic nostro accidisse mox videbimus.

Mane *Rhabarbari* gr. xxiv. sunt præscripta: sed eâ parum respondente Medicinâ, circa meridiem injectus Clyster alvum *bis* magnâ copiâ dejecit.

Undecimo, Tussis, quæ à quatuor diebus fuerat molesta, quievit. In cæterorum curatione sic progressum.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥ iij.

Mannæ.

Syr. Rosar. solut. ana ℥ ℞ M.

Unde *quater* fusa est alvus: adhibitufque ex more haustus somniferus quietem ea nocte placidissimam allexit. In brachiis & cruribus humor adeò acris evasit, ut pelliculas, quibus inclusus est, eroderet tandem, unde magna fœditas odoris accessit. Itaque ea sevo agnino ita circum undique obducta sunt, ut pollincturam quasi passus videretur.


Duodecimo, & *decimotertio*, pene eadem. His & sequentibus etiam noctibus per intervalla aliquantulum delirus; febrique adhuc incaluit.

Decimo quarto, adhibita est, ut prius, medicina Cathartica: & cum Febricula ne tum quidem

^b *Ibid. pag.* 212.

dem conquiesceret, etiam *decimo sexto* die ite-
rata.

Hâc igitur medendi viâ Febris tandem ex in-
tegro decessit. Sed is fuit humorum acor, ut
ægroto, etiam integritate restitutâ, non modo
enascerentur furunculi, sed tota quasi desqua-
mata cuticula, unguesque exciderent: his ve-
rò positis exuviis, novâ juventute reffloruit.



H I S T O R I A

Q U A R T A.

VARIOLARUM etiam exitus, quem nos in
Fœminâ generosâ simul vidimus, & rarus
est, & notatu dignissimus.

Fuit illa habitu pleniore prædita, & duobus
ferè à mensibus Tussi & Catarrho graviter con-
flictata est. Jam cum ego accessi, in conspectu
erant Variolæ: ita quidem confertæ, ut cres-
cente morbo undique ferme inter se invicem ad-
hærescerent. Febris satis vehemens; spiritus
paulò difficilior: Vox subrauca. Urgebat ali-
quando & nausea. Caput verò præ cæteris im-
maniter dolebat. Præscriptis quæ ventriculum
lenirent, Cucurbitalæ juxta collum adhibitæ
sanguinis 3̄ ix. eduxerunt. Neque miretur quis-
piam quòd, utcunque jam exeuntibus Variolis,
sanguinis mittendi author fuerim: quippe sub
hoc ipso tempore, si exuberaverint humores,
dolorve vehemens perstiterit, sanguinis detra-
ctio-

tionem, & maximè quidem si Cucurbitulis fiat, ita parum nocere comperi, ut faciliorem inde pustulis exitum ferè semper expediverim.

Secundo, cum Tussis vehementer sæviret, spiritusque adhuc aliquantulum laboraret, datum est *Decoctum Pectorale*; sed id stomacho (quod etiam sæpe aliàs vidi) ita insuave, ut nauseam ferè semper commoverit.

Tertio, omnia ferè eadem: nisi quòd *Linctu* adhibito Tussis paululum mitesceret: quietemque aliquam conciliarent *Opiata*, iteratis vicibus adhibita.

Quarto, multa de raucitate fauciumque asperitate conquesta est: itaque os sæpius *Gargarismate* lenitum. Pustulæ ingenti multitudine prodierant: mole quidem exiguæ, etiam & depressæ; quoad cætera, nihil præ se mali ominis ferebant. Sputorum copia incredibilis, ita ut viginti quatuor horarum spatium quasi ad Congii mensuram assurgeret. Erat tamen iniquies perpetua, jugisque ita corporis jactatio, ut necesse fuerit ad *Opiata* rursus confugere. Hæc adeò liberius indulsi, quòd ab his, quantum quidem observatione percepi, nec Tumorem faciei reprimi, nec sputa ipsa intercipi unquam viderim. Hoc præsertim morbi tempore mira præstant; cum nulla medicina, non modò ad quietem inducendam, sed ad ipsos etiam humores leniter foras alliciendos, usque maturandum, sit valentior. Etiam in hac ipsâ ægrotâ, ubi aliqua spirandi molestia fuit, ita parum offecit, ut, cum cætera in melius irent, sputaque rectè procederent, tum spiritus quoque minùs laboraret. Divinum planè remedii genus! quod
soler-

solertissimus de hoc morbo scriptor *Sydenhamus* ad Variolas curandas invexit primus, quodque certè subtiliore quâdam observatione prudenter adhibitum pluribus saluti fuit, quàm cætera omnia quotquot sunt Cardiaca. Interque ea, quæ hæc ægrotis commoda conciliant, non ultimas tenet celebris illa à *Fracastorio* confecta Medicina.

Hâc igitur opitulandi viâ nox pacatior: dieque *quinto*, facies jam tunc intumescebat: pulsus ad numerum magis compositus: urina tamen, boni utcunque coloris, nihil demisit. Die *sexto* ferè eadem, nisi quòd languidior videretur.

Septimo, molestè admodum se habuit, insomnis atque inquieta. Febris nunc denuo accessit. Materia, quæ pustulas infarfit, fatis proba, & aliquantulùm flavescens.

Octavo, eadem inquires; ita ut nullam noctem daceret, quin necesse fuerit *syrupi de Meconio* ℥ ij. adhibere. Quarum una ex præcepto *Sydenhami*, vesperi, temporius data; quia febris tum potissimùm exacerbescere cœpit. Nox tamen nihilominus tristior.

Nono, Sputatio etiamnum fatis liberè processit. Febris autem vehementer excanduit, ita ut interdum aliena loqueretur. Pulsus incitatus, valens tamen. Pustulæ in facie exarescere cœperunt, tumorque paululùm subsidere. Spiritus haud ita liber; urina largiter demissa, Clyster mane injectus febrem aliquatenus leniit. Vesperi, Nuchæ admotum Vesicatorium: Haustusque somniferus ex more adhibitus. Noctu quies ferè nulla; incaluit quippe admodum, & delirabat.

Decimo, mane paulò magis ad quietem composita: sed nec adhuc febre, vel delirio vacua. Clystere tamen iterum injecto, aliquantulum ad se rediit. Vesperi adeò, cùm Tu in consilium accersitus ægrotam mecum inviseres, Febrisque nondum conquiesceret, quoniam pulsus utcunque celerem, plenum tamen & valentem, habitâ virium ratione, percepimus, hoc remedii continuò sumendum duximus.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥ ij. ℞.

Mannæ ℥ ℞.


Aq. Pæon. C. ℥ iiij. *M.*

Hauftumque somniferum post *duas* vel *tres* dejectiones dari iussimus. Noctu *sexies* fusa est alvus; ita tamen, ut satis commoda quietis intervalla habuerit. Hinc omnia melius ibant: sic ut,

Undecimo, Febris fuerit multò remissior, & evanuerit prorsus delirium. Perstitit adhuc, quod perrarum est, sputatio liberrima. Manuum, qui hactenus erat perpusillus, tumor increvit: ita parum medicina leniter evacuans, hoc demum morbi tempore, quod à plerisque tantopere timetur, ne artus extremi intumescant, prohibet. Quinimo in Fœminâ, uti meminisse potes, prænobili, quæ *undecimo* die abortum fecit satisque sanguinis profudit, manus, antea nequaquam inflatæ, *duodecimo* primùm post id profluvii turgescere cœperunt; ita ut paucis diebus, licèt Variolarum multitudine laboraret, inque earum cursu abortiret, ad integritatem pervenerit.

Duodecimo, cùm etiamnum inhæreret Febris, iterum adhibitus est Clyster: unde alvus fluentior facta maximum levamen attulit. Quippe ad *decimum quintum bis terve* quotidie descendit. Quæ *Rhabarbaro* per vices iterato, *Opiatisque* commixto cùm leniter esset perpurgata, post triduum calor omnis cum febre decessit.

Sed ut quale demum fuerit morbi virus, appareat, cùm sanitas jam esset restituta, materia Variolosa naris infimæ septum, quâ cartilagineum est, penitus erosit; ita ut foramen haud mediocre, perfectâ undique cicatriculâ obductum, relinqueretur. Et hoc quidem, cum aliàs nihil officeret, in bonis ægrotæ rebus ducendum: nam si acris iste humor altius ad ossa pervaserat, Nasus ipse concidisset.



H I S T O R I A

Q U I N T A.

F O E M I N Æ illustri, quæ à tribus circiter mensibus utero gesserat, oborti sunt capitis atque artuum dolores vehementissimi: in dorso præcipuè ita acuti, quasi gladio confoderetur. Febris etiam accrescere inceperat. Qui affuit rerum harum peritissimus, *H. Chamberlen*, quanquam ne abortiret illa, metum subesse perciperet, aliquam tamen de Variolis suspicionem habuit: quare ut utrique *malo* occurreret, sanguinem detrahi jussit. Postridie cum ingravescerent

cerent omnia, brachiis Vesicantia adhibuit: pro-
dierunt deinde Variolæ, ingenti multitudine.
Dolores aliquatenus levati: sed ad cætera ac-
cessit animi languor. Venter etiam paulò liqui-
dior. Quare, quæ vires reficerent, fluentem-
que alvum cohiberent, imperata. *Tertio* aded
die, cum ego essem in consilium accitus, Va-
riolæ totum ferè corpus occupaverant: distincte
quidem ut plurimum, sed ut minima relinque-
rentur intervalla: itaque, vigente morbo, mul-
tæ confluebant. Neque abortiendi metus eva-
nuit: febris quippe vix remissior; & urina san-
guine interdum tincta. Pustularum etiam egressus
tardissimus. Adhæc increbuit Tussis; sæpe etiam
& nausea intercurrit. Dies *quartus* maximis in
molestiis consumptus. Cætera ferè eadem. Ita-
que medicina somnifera vesperi adhibita, & ad
mediam noctem, quia parum quietis attulerat,
iterata. Nihilominus, ad primam ferè lucem,

Quinto, abortiit: sic tamen ut intus, quod
infelicissimum fuit, remanserit *Placenta*. Ita-
que hæ cum essent rerum angustia, sanguinis
profluvium, ne pustulæ penitus interciderent,
paulum reprimi oportere duximus: iisque quæ
lenius astringerent, *Opium* immiscuimus. Ves-
peri itaque fluxio ista satis mediocris: pustulæ
tamen subpallidæ. Facies, quæ nonnihil jam
intumescere cœperat, depressior. Pulsus celer,
& debilis: inquietas continua; mens haud ita in-
tegra. Digni motu perpetuo agitati; stragula
vellicabat, floccosque collegit. Vires denique
admodum imminutæ, ita ut in maximo vitæ
discrimine versari videretur. Tamen ferè iis-
dem usa remediis, maximèque *Opio* ad gr. ij

per vices sumpto, noctem eam satis placidè egit: ita ut mane, hujus potissimùm medicinæ ope,

Sexto, in melius mutata fuerint omnia: spesque aliqua vitæ conservandæ affulserit. Efflorescere quippe atque attolli cœperant pustulæ; pulsusque invaluit, ita tamen, ut ne nunc quidem Febriculâ vacaret. Eadem remedia, atque ad eandem uti prius normam adhibita. Nam à *Calidioribus*, etiam cùm pustulæ subsederint, temperandum esse rati sumus, ne, quod deterioris longè ominis futurum erat, sanguinis cursus increfceret. Quam etiam in Variolis medendi rationem, ubi *Menses* profluxerint, secutum esse video *Sydenhamum*^a.

Itaque *septimo*, cùm jam pene evanesceret ex nimio sanguinis fluxu timor, præscripta sunt *Cardiaca* temperatiora: & Clyster, isque lenissimus, injectus.

Octavo, suâ quasi sponte exiit *Placenta*. In hoc enim opere artem nocere posse arbitrati, omnia propè naturæ permisimus, Aliquot simul sanguinis grumi demissi; sed nulla, quæ officeret secuta est fluxio.

Ad *nonum* adeò diem perventum est. Facies permodicè intumuit; pustulæ ipsæ nequaquam inarescebant, utpote, cùm segniùs prodiissent, crudâ adhuc materiâ fluentes. A triduo, sputa satis libera. Tussis etiamnum molesta: fauces asperæ, & lingua ulcusculis scatens. Febris inhærebat assiduè: aliquando & delirium revertebatur. Pulsus interim satis valebat; & utcun-

que incitator, in æquabili motu permansit. Urina etiam multum depofuit. Sed ea fuit inquietas jactatioque corporis, ut nullus omnino fomnus, nisi Opiatis affatim impertitis, accesserit.

Decimo, idem rerum omnium status.

Undecimo, facies siccescebat. Febris adhuc incubuit, remisit tamen aliquantulum, ventre *bis*, *Enematis* ope, subducto.

Duodecimo, inquietas eadem & Febricula, quare paulò acrior *Clyster* inditus levamento fuit.

Tandem *Decimo tertio*, cum & vires satis constarent, neque adhuc decederet Febris, *Rhabarbari* ℥ ℞. est adhibita: quippe morbum, qui alvo fluente levior jam factus fuit, hanc maximè medendi viâ tandem abigi posse confisi sumus. Ventre igitur *quater* fuso, Febris multò remissior: quæ tamen etiam, *decimo quinto* die, ita parum evanuit, ut necesse fuerit medicinam paulò efficaciorẽ exhibere. Ea fuit hujusmodi,

R. *Decoct.* *Sen. Gereon.* ℥ ij ℞.

Mannæ Calabr. ℥ ℞.

Aq. Mirabil. ℥ iiij. *M.*

Unde alvus *quinques* mota feбри finem integrum imposuit.

Ita fœmina lectissima ex vitæ discrimine, eoquo multiplici, plusquam semel, exemplo haud vulgari, liberata. Siquidem Vir ille experientissimus, qui ægrotantis salutem præfuit, rarissimè aliquam, quæ Variolis correpta abortierit, ad sanitatem pervenisse; earum verò, quæ hoc modo essent abortum passæ, nullam omnino superfuisset cognovit.

HISTORIA

S E X T A.

Locus ipse hortari videtur, ut memorabilem, & huic quam modò retuli maximè affinem, *Puerperæ* Historia attexam: præcipuè cum eidem illa Medico valetudini suæ curam commiserat. Hic adeo accersitus cum vehementissimâ febre correptam, dorsique dolore laborantem videret, utcunque legitimum parienti jam ferè instaret tempus, tum venam secari, tum *Enema* atque *Vesicatoria* adhiberi jussit. Postridie, eruperunt *Variolæ*, ingenti multitudine: neque tamen illæ, nisi rariùs, confluentes. Exinde de doloribus minùs quæsta est; *tertio* tamen die, partum maturum edidit. Nihilominus medentis consilio res ita processit, ut *Variolæ* cursum suum haud infeliciter tenuerint.

Septimo demum, cum ego accerferer, fatis aperta febris redivivæ indicia. Pulsus quippe celer, & grandis. Urina pallidior, ubertim tamen demissa. Sputatio perparca. Vix quicquam intumuit facies; pustulæ ipsæ subalbidæ; materiâ ita parum plenæ, ut maximâ ex parte vel pelliculæ, vel *Verrucæ* speciem induerint: perpauculæ sero tenui fluitabant. Noctes maximo cum labore traduxerat: utcunque *Opiatis* assueverat. Aliquando & languescere visâ est. Itaque applicata sunt *Vesicatoria* infra cubitum utrinque: præceptaque, quæ & quietem inducerent,

rent, & humores, siquâ id fieri posset viâ, propellerent atque maturarent. Sed,

Octavo, utcunque nox paulò levior fuisset, pustularum maturitas nulla: neque quid amplius tumoris accessit. Febris autem multâ cum corporis jactatione acuebatur. *Clyster*, vesperi adhibitus, alvum fudit, unde febris impetus paulùm relanguit.

Nona, eadem omnia. Neque quicquam vel in artubus maturuit. Inquies maxima, aliquando & mens parum sibi constans. Idem hodie ab eodem *Enemate* levamentum.

Decimo, apparuerunt in ipsis pustularum interstitiis, haud mediocri numero, papulæ rubræ, *Morbilorum* instar, ferè intra Cutem hærentes: aliquæ tamen ita extabant, ut tuberculi alicujus speciem referrent. Triduo autem elapso, omnes evanescebant. Neque nova hujusmodi eruptio aut infrequens, aut à scriptoribus silentio prætermittenda: quam quidem & observâsse videtur vetustissimus scriptor ille, apud *Rhazem*^a, *Georgius*: ait quippe *aliquando accidere, & inveniri Variolas parvas intus in magnis Variolis, & nominari Variolas duplices*. Pari modo *Variolas* sæpe denuo quasi germinare, & recenti quâdam sobole succrescere scribit *Gometius*^b; etiam in unâ corporis parte *Variolas*, in alterâ *morbillos* erupisse meminit *Etmullerus*^c. Ita haud rarò *Variolæ* sibi invicem succedunt, nonnunquam & pustulis

tum

^a *Contin.* 30. 419. *Col.* 3. *Vid. etiam Mayern. de Variolis. Gasp. Kolichen. Obs. de Variolis in Æthiope.* ^b 905. ^c 248. *Pechlin. Observ. Diemerbrook. Hist.* 19.

tum *Verrucosis*, tum *CrySTALLINIS*, aliquando & *corneis* reperiuntur interstinctæ. Sed hic fere Naturæ lusus humorum cruditatem arguit, graviolemque morbum significat. Tamen ut ad ægrotam revertamur, faciei pustulæ, squammarum instar, deciderunt. Febris continenter inhæsit. Pulsus æqualis satis, sed justo concitator. In urinâ nihil depositum. Itaque cum nihil ultra suis efficere viribus potuerit natura, neque per Cutis meatus, neque seu per salivæ, seu per urinæ vias quicquam amplius extrudere, nostrum esse rati, ut huic ita laboranti subsidium arte pararemus, *Rhabarbari* ℥ ℥. sine morâ exhibuimus. Id tamen, alvo reluctante, nihil egeffit. Quare vesperi paulò valentior medicina præcepta est.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥ iiij.
Mannæ opt. ℥ ℥.
Cremon. Tartar. ℥ j.
Aq. Marabil. ℥ iiij. M.

Hoc, partitis vicibus exhibitum, alvum *quater* multo cum levamine commovit. Quòd verò Medicina ista sic divisâ fuerit, id quidem in hâc corporis imbecillitate consultò fecimus; fatius quippe duximus, quemadmodum & de sanguinis detractione perscianter notavit *Celsus*^d, primùm, levare ægram, deinde perpur-gare, quàm simul omni vi effusâ fortasse præcipitare. Hâc scilicet moderatione utentibus, rarò aliquid adversi, præter spem, accidere solet.

Un-

Undecimo, & Duodecimo, Cardiaca cum Opia-
tis conjuncta infirmitati virium commodè sub-
 venerunt. interrupta, quàm antea, quies. In
 urinâ aliquid tandem defedit. Pulsûs non ita
 incitata celeritas. Sed neque adhuc, licèt per
 discessionem aliquando mollita, febris integrum
 corpus dimisit.


Decimo tertio, igitur eadem ferè instituta
 purgatio, quod reliquum erat febriculæ, pe-
 nitus restinxit.

Haud vulgares esse arbitror has *Abortientis*,
 atque *Puerperæ* Historias: in quibus, uti mor-
 bus ipse eundem ferè & cursum & exitum ha-
 buit; ita hoc etiam commodi utrisque com-
 mune, ut, morbo utriusque notitiæ subtrac-
 to, neutra se variolis esse correptam, nisi sanitate
 tandem recuperatâ, perceperit.

Vides alteram non à *puerperio* modo, sed ab
 ipso variolarum genere in vitæ discrimen maxi-
 mum incidisse: nam pustulæ erant, aut more
 verrucarum duræ, aut siliquarum instar vacuæ,
 nullamque unquam maturitatem adeptæ. Qua-
 rum has *Marcellus Donatus* ^e, illas *Johannes de*
Gaddeſden ^f, de re medicâ scriptor nostratium
 antiquissimus, uterque *Rhazem* ^g secutus, le-
 thales pronunciat. Hæc quidem morbi species
 perrara: quâ tamen puellam non ita pridem la-
 borantem curavi. Erant in eâ Variolæ confer-
 tissimæ: febris sub initia ita vehemens, ut per
quinque continuos dies deliria, dolores, *Vigi-*
lias, nervorumque distentiones intulerit: post
 id

^e *De Variol.* III. ^f *Rosa Angl.* 2. 4. ^g *Contin.*
 30. *de peste.* c. 15.

id temporis omnia pacata. *Octavo*, in pustulis nullum omnino puris vestigium: nullus itidem in facie tumor. Itaque jam tunc, nè periculum grave instaret, metuendum duxi. Postridie tamen, pelliculæ omnes ruptæ atque deciduæ: & contra spem omnium, sine febre morbus ex integro decessit. Elapsis tamen diebus aliquot, materiam adhuc in sanguine delitescentem indicabant, qui tum ubertim prodierunt, Furunculi.



HISTORIA

SEPTIMA.

ADOLESCENTULUM annorum ferè quindecim Febris, cum multo capitis dolore fluxuque ventris peracri, corripuit: ita ut brevi prodierint Variolæ, confertæ contiguæ. Ægrotantem sic maximè levari posse judicabat Vir rei Medicæ gnarus, *T. Wadsworth*; si Nuchæ apponeretur Vesicatorium, essetque in usum vocata, quæ fluentem alvum reprimeret, *Tinctura*. *Tertio*, cum ego adscitus essem, die, pustulæ, utcunque exiguæ, fatis floridæ tamen, magisque quàm pro impedimentorum ratione evocatæ. Nam alvus erat etiamnum cita, ita ut quotidie *quater* aut amplius descenderit. Itaque *Tincturæ*, aliisque remediis, tam astringentibus, quam Cardiacis, sæpius assuetum, unde paululum substitit alvus, Accessit gutturis
angor,

angor, & quædam asperitas: Lingua etiam pustulis dolentior. Cui quidem malo commodè subvenit *Mucilago* tenuis, ex *Cydoniorum* femine confecta. Urina coloris haud mali.

Quarto, mane pleraque eadem: increbuit tamen ventris fluor; ita ut necesse haberemus valentius quoddam medicinæ genus experiri: quod fuit hujusmodi.

℞. *Decoët. alb.* ℥ v j.

Confect. Fracastor. sine melle ℥ v j.

M. F. Clyster statim injiciendus; & rep. vesp.

Sed neque sic alvus ita quievit, ut non sæpissime noctis tranquillitatem interturbârit. Nilominus,

Quinto, pustulæ neque colore pallentes, neque in apicibus retrusæ; sed pro hujusce morbi indole haud infeliciter projectæ: vires etiam satis constantes. At aderat inquires haud mediocris, venterque exsolutus novas molestias creavit. Quod fluxit autem erat perliquidum: interdum etiam Mucis pituitæque similia excreta. Quare & *Tberiacæ* astringentibus immixta, & *Clyster*, qui potentiùs ventris impetum compesceret, injectus. Adhibitus etiam, qui somnum inferret, haustus. Noctu, satis commoda quies, ita ut,

Sexto, alvus coactior facta, nunc tandem comprimi videretur. Quare omissis quæ valentiùs astringerent, *Tberiacæ* iterata est: eademque nobis fuit somni arcessendi cura.

Septimo, tamen recruduerunt omnia; alvus siqui-

siquidem nimium concita : pustulæ tamen coloris fatis vividi ; & pure probabili refertæ. Itaque ad ea, quæ die *quarto* præcepta sunt, iterum transivimus. Unde nox paulò tranquillior.

Octavo, Nullæ amplius alvi fluentis turbæ : neque ulla nisi de languore aliquo querela. Pulsus tamen commotior, ita ut haud obscura fuerint febris secundæ indicia. Itaque fatis cum molestiâ consumptus dies. Quare id à nobis maximè attendi, curationemque sic dividi oportere rati, ut & perfici posset, quæ adhuc tardior fuit pustularum maturitas, haberetque æger liberaliores quietis inducias, in *Cardiacis*, quæ mediæ essent materiæ, *Opiatisque* hærendum esse judicavimus. Postridie adeo fatis ex voto in omnibus processum.

Decimo, Pustulæ, maturitatem adeptæ suam, siccescere cæperunt. Febris exacerbata, ita ut summa secuta sit iniquies. Igitur *Enema*, quod ventrem emolliret, & *Vesicantia* brachiis adhiberi curavimus. Haustus etiam somniferus alterâ vice, noctu, repetitus : unde quies aliquantulum pacatior ; ita tamen ut,

Undecimo, Pulsus fuerit nimis concitatus, fervorque corporis fatis vehemens. In urinâ autem aliquid defedit. Itaque cum Febris etiamnum insideret,

Duodecimo, *Rhabarbari* ʒ ss., hæsitazione omni abjectâ, exhibuimus ; unde alvo *quater* solutâ, febrilis ille æstus magis ad temperiem deductus : qui tamen, sub noctem potissimum, ingravescere nondum destitit.


Decimo tertio, idem rerum omninum tenor. Quare,

Decimo quarto, *Rhabarbarum* rursus exhibitum ventrem *sexies* fudit. Hinc nox satis quieta: quod reliquum erat febriculæ omnino elanguit.

Advertis, quàm in lubrico fuerit Adolescentuli hujusce salus. Etenim cita alvus, ab universis scriptoribus, inter signa Variolarum maximè funesta ponitur: cujus quidem tantus fuit apud *Arabas* timor, ut horum plerique ægrotos per ea quæ ventrem contraherent diligenter modò, sed etiam officiosè præmunerint. Aliorum autem, etiam *Arabum*^a alius sensus, qui primis morbi diebus alvum leniri volunt: nonnulli eam omni^b, aut alterno^c saltem die, vel *Clystere* vel *glande* subditâ solvi præcipiunt. Quam quidem curandi viam, quibusdam in *Germaniæ* locis, jam nunc teneri intelligo. Quanquam verò is ego non sim, qui, utcunque *Cathartici* aliàs haud aduersus, in ipso morbi curriculo ea in usum trahi confulerem: hæc ipsa satis evincit Historia, ventris fluorem, etiam citra ægroti exitium, in Variolis posse aliquando consistere. Id autem observatione haud indignum, quòd, re licèt in integrum restitutâ, morbus tamen ipse factus fuerit, ut alvo fluentiore plerumque sit, diuturnior.

^a *Fil. Mesuæ*, *Contin.* 421. c. 4. *Serap. ibid.* & *de Febre* c. 12. ^b *Sennert.* 736. ^c *Fonsec. Consilior.* Tom. 1. 48. *Horat. Aug.* x. 18.





HISTORIA

OCTAVA.

VIRO annum ferè agenti tricesimum acciderunt Variolæ, totum corpus pariter ac faciem ita occupantes, ut invicem usquequaque adhærescerent: paucissimis etiam in locis coaluerunt. Sed cum satis aliàs roboris subesset; *Octavum* diem haud admodum vexatus attingit. Tum verò vesperi spiritus paulò gravior, sensus tardior, mensque haud leviter commota. Inquies, fervorque corporis accessit. Pustulæ jam quasi inaruerant. Curavit eum diligenter *J. Hollier*: sed ne suo ille arbitrio, quæ potior visa est, medendi viam insisteret, obstitit *Gallus* quidam, qui cum medicinam ex *sale* potissimum *Viperino* confectam, eamque quasi fallere nesciam obtruserat, de ægri securitate magnifica promisit. Tamen;

Nono, neque desit spirandi molestia, neque non vehementiùs increbuit delirium. Itaque, vesperi, apposita sunt Nuchæ atque brachiis *Vesicantia*: *Clysterque* satis acris inditus ventrem sæpius commovit. Hinc


Decimo, spiritus facilius, caputque aliquatenus levatum.

Undecimo autem, febris invaluit: ita ut Delirio maxima tandem per vices supervenerit capitis

pitis gravitas; ferè ut soporatus videretur. Tendines interim convulsi. Ardor corporis fummus: aliqua etiam spirandi difficultas. Pulsus tamen & plenus, & vehemens. Itaque cum discrimen ingens jam tum immineret, in eâ fuimus opinione, & sanguinem extemplo detrahi, & alvum etiam sic deduci oportere.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ʒ ij.
Syr. de Rhammo Cathartic.
Aq. Pæon. C. ana ʒ iij. *M.*

Dicenti, extrema videri ejus generis remedia, ea fanè sic & videri & esse responsum est, idque itidem extremum esse, cui occurri voluimus, periculum. Quare sanguis jam tum detractus præsentis aliquid auxilii attulit; noctuque venter sæpe demissus tum cerebri tum pectoris gravitatem sic ex integro tollebat, ut febris quoque jam interquiescere cœperit. Ita tandem juvantium pertinacia malum corporis vicit.



HISTORIA

N O N A.

NOBILISSIMÆ & perantiquæ familiæ hæredem corripuerunt Variolæ: ita leniter quidem, ut sine ullâ ferè molestiâ eruperint. Itaque in principio, nihil, quod morbo occurreret,

ret, factum: nisi quòd Cucurbitulis eductus fuerit sanguis ad $\frac{3}{4}$ iv. Curam ægroti habuit, Vir clarissimus, & supellectile medicâ instructissimus, *H. Sleam*. Ad *Octavum* adeò diem sine omni difficultate perventum est: ut nulla omnino ifuerit suspicio, posse eum aliquando in periculo versari. Eo tamen die, cùm nos illum unà primùm inviserimus, & febre tentatum, & singultu sæpius affectum invenimus. Accessit & Tussicula. Pustulæ non in facie modò, sed per univèrsum corpus confertæ: in pectore præsertim à claviculis ad umbilicum usque, densissimæ: quod uti perrarum est, ita & inter mali ominis signa à quibusdam non temere positum. Neque id fanè infrequens, ut Variolæ, licèt inter initia facillimè, ut hoc in casu, proruperint, morbi tandem decursu evadant mortifera. Pustularum margines supra modum rubescentes: ipsæque crudiore materiâ diffluentes, quæ ad flavedinem quidem parum accederet. Facies non nisi modicè intumuit. Pulsus plenior, utcunque incitatus. Haud multa in quies; somni tamen neque arcti, neque diurni. Sputatio longè parcior, quam quæ morbo ita gravi convenerit. Is autem virium languor, ut neque caput de pulvino tolli, neque in alterutrum se verti latus libenter tulerit. Horum omnium ut ratio aliqua haberetur, mitiore Cardiacorum genere, aliisque remediis curavimus.

Insequente *biduo*, nulla rerum mutatio, nisi quòd decefferit singultus. Somnifera singulis noctibus adhibita, aliquando & iterata.

Undecimo, Tussis vehementer increbuit, & quandam quasi in pectore angustiam invexit. Febris

bris etiam, præsertim vesperi, exarsit. Itaque quæ pulmonibus subvenirent imperata, admotumque Nuchæ Vesicatorium.

Duodecimo, venter *Enemate* solutus febrem aliquantulum tenuavit, quæ tamen noctu ita recruduit, ut per intervalla delirium excitârit.

Decimo tertio, Facies prorsus incrustata, Manuum tumor omnino nullus. Spiritus paulo molestior. Neque febris adhuc conquievit, neque remisit cætera. *Urina* tamen, largiter utcunque profusa, nonnihil deposuit. Serio igitur de his rebus deliberantes, de *Evacuantibus*, & de *Rhabarbaro* exhibendo sermonem habuimus: cunctanter tamen in hoc ipso morbi tempore, periculoso licet, agendum esse arbitrati, id consilii abjecimus. Qua quidem in re id potissimum attendimus, ut, naturæ conatum dum opperiremur, ægroto interim nihil noceremus. Neque id non a nobis curandum esse duximus, ut existimationi etiam nostræ, quod licuit, consuleremus. Fortasse etiam prudenter satis aut quicquam tentare, aut in splendidâ personâ periclitari conjecturâ nostrâ nolimus, ne occidere, nisi servâssemus, videremur. Quippe siquid adversi acciderit, id *Rhabarbaro* fortasse quis imputaverit: sin, *Bolo* atque *Zulapio* decenter & solenniter repetitis, res tamen ad exitium veniret, artis regulas fuisset persecuti. Nihilominus *Clysterem* alterâ vice præcipere ausi sumus; adhibitaque sunt brachiis utrisque Vesicantia. Nox inquieta; Febre nunquam antea ita graviter laborârat: multa, & sæpissime incondita, locutus. Pulsus tum citatior, tum minus valens. Itaque mane,

Decimo quarto, experiri statuimus, quid auxili-
lii in hoc rerum discrimine afferre possent Cu-
curbitæ: his ad eò admotis, sanguis ad 3 viij.
fluxit; unde & aliqua caloris remissio, & capi-
tis levamen maximum.

Vesperis tamen, cum Febris etiamnum parum
esset inclinata, nosque evacuantiâ præcipuè ex
usu fore tandem suspicaremur, de *Rhabarbaro*
iterum mentionem fecimus, jam de *quindecim*,
mox de *viginti quinque* granis locuti. Sed me-
dio tutius eundem esse rati, rem æquissimo mo-
do secuimus: & *viginti* demum granis fiden-
ter exhibitis, nimium alvi fluxum haud quaquam
perhorruimus. Hinc ventre *semel* soluto, Febris,
ut nunc primum mitescere visa sit, etiamnum
tamen inhæsit. Quare ne vel delirium, vel spi-
randi difficultas ingravesceret, Vesicantiâ ut
præstò essent, præcepimus.


Decimo quinto, melior paulò rerum facies. Pul-
sus magis ad æquabilitatem accessit. Nulla jam
pectoris angustia, vox tamen raucissima. *Enemate*
adhibito, emollitus est venter; qui deinde
ad fluorem proclivior, hoc & proximo die *ter qua-*
terve deiecit. Vires tamen, nisi in ipso deji-
ciendi articulo, haudquaquam imminutæ.

Decimo septimo, ad *Rhabarbari* 3 fs. satis au-
dacter ascendimus: unde *ter* fusus est venter. Sed
neque adhuc febris profus evanuit, quæ vespe-
ri præsertim molestiam renovabat. Cætera qui-
dem in melius mutata. Itaque,

Vicesimo, cum quotidie descenderat venter;
exhibita sunt *Rhabarbari* grana xxv. Febris nunc
tandem penitus depulsa; viresque, quanquam
alvus liquidior jam facta *his* ferè indies, ad tem-

pus aliquod, fluxerit, paulatim instauratæ.

Ad hunc modum Vir ille prænobilis ex morbo gravissimo, lentis tandem gradibus, ad sanitatem pervenit: quam utique evacuantibus, & quidem Ventri maximè fluenti acceptam referri oportere ipsa satis fidem facit Historia: nam Febris non, nisi postquam fuerit leniter sanè, ad plures tamen vices repetita *purgatio*, decessit.



HISTORIA

DECIMA.

DELIRIUM vel in initiis, vel in ipso vigore Variolarum satis vulgare est: sed id vix aliàs unquam ita impotens atque effrænatum, ac in Virgine quâdam percepi. Eruperant eæ haud commodè, die scilicet secundo; permultæ quidem illæ atque densæ, sic quidem ut in genis planè coiverint. Vicinus aderat ei Medicus *T. Pigot*: qui id probè curavit, ut satis feliciter & exirent pustulæ, & procederent. *Quarto* adeò die, eæ tum mole haud mediocres, tum etiam colore florentes. Sed somnus à biduo nullus accesserat; quare mens brevi turbatior, ita vanas quasdam imagines, cogitationesque tristissimas acciperet: neque intra verba desipuit illa, sed aliquando violentiùs se gessit, sic ut facilè contineri nequiverit. Pulsus eo die haud multum in-

quietus; sed corporis fervor vehemens: seque ipsa quasi flammis torrerī sæpius clamavit. Imperata sunt Vesicantia: aliaque id genus remedia, quæ & pustulas auferent commodè, quietemque arcesserent. Sed somnum his auxiliis frustra quæsimus. Itaque manebat idem, isque quasi bacchantis furor. In cæteris, satis pro sententiâ processum.

Septimo, quietis quidem perpufillum: mens tamen vanis imaginibus pariter addicta. Pustulæ cursum suum non malè tenuerunt. Febrisque hætenus, si pulsum consuleres; ferè aberat, sed incendium aliquod intus delitescere visum: adeò ut sitis adesset perpetua, faucesque ita siccescerent, ut sputorum omnis interciperetur cursus.

Octavo, cum materia in pustulis jam ad maturitatem spectaret, febrem ex more accessisse pulsus ipse, concitator factus, indicabat. Idem tamen & validus, & plenus. Spirandi molestia nulla, sed nec quies ulla: nec mentis error quicquam remisit. In urinâ nihil coctum apparuit.

Nono, omnia ferè eadem, nisi quod tum Febris, tum delirium sæviret atrocius. Itaque *Clyster* est injectus; unde, alvo subducta, spatium aliquod in quiete transactum.

Decimo, Pustulæ quidem pure, sed eo tamen crudissimo repletæ. Eadem animi impotentia: Febrisque ad extremum caloris gradum perducta. Nervorum etiam distentiones subinde obortæ. Quare, Cucurbitulis admotis sanguis ferè ad $\frac{3}{4}$ ix. detractus: unde primùm aliqua, permodica licèt, Febris levatio. Tendines jam etiam quiescebant.

Duodecimo, rursus in deterius itum est. Sed nec pustulæ adhuc prorsus aridæ, neque faciei tumor: corporis autem calor intensissimus. *Rhabbarbari* ℥ ss. jam tum sumpta ventrem laxaverat modò; quare is, proximo die medicinâ paulò valentiore adhibitâ, liquatus est. Inde aliquæ somni induciæ; qui tamen etiamnum ita perdifficiliter accessit, ut ferè frustra fuerint, quæcunque in usum ducta sunt, *Opiata*, Id quod aliàs in vehementibus deliriis sæpe experimur. Febris adhuc cum mentis alienatione maximâ inhæsit: itaque *decimo sexto*, *Rhabbarbari* ℥ ij. imperati sunt, & *decimo septimo*, etiam repetiti: ita ut alvus sæpius descenderit, sed ne sic quidem aut incendium corporis restinctum est, aut remisit delirium. Igitur,

Decimo nono, Hirudines, Venis temporabilibus admotæ, sanguinis multum exhauserunt. Hinc magnum capitis levamen percipi; quod tamen adhuc ita vacillabat, ut delirium subinde recurreret. Neque febris hætenus interquievit.

Quare, *Vicesimo*, potionem, quæ leniter purgaret, adhibitâ, intraque *triduum* iteratâ, febris ita imminuta est, ut ægrotata, post *Viginti quatuor* demum dies jam primùm mentis esset suæ. Atque illa quidem deinde, ut febriculæ finem imponeret, *lacte Asinino* usâ, brevi ad integritatem pervenit.





VIDES, quàm in simili Variolarum genere dispar sit morbi ipsius cursus, ratioque affectuum multiplex, & planè dissimillima: vides ægrotos sexûs utriusque, omni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitûs, omni anni tempore, eodem malo laborantes; quos tamen omnes hæc potissimum *purgandi* via periculo vitæ maximo liberavit. Vides ut aliis inopinatam præsentissimamque opem attulerit *purgatio*; ut aliis paulisper subvenerit, cunctantiùs per vias repetita: ut universis, seriùs aut citiùs, mirabilem in modum saluti fuerit. Nonne enim omnes hi ex ipsis propè lethi angustiis, hoc medicinæ auxilio, emertere? quidam utique, uno quasi ictu, simul & semel erepti: plurimi minutatim, lentèque admodum extricati: ita ut, si quis horum omnium salutem *purgationi* minimè ascribi oportere censeat, idem pari per me licet jure contendat, neque artem medicam unquam exstitisse, neque ullam unquam profuisse cuiquam Medicinam. Hæc tamen nota satis atque illustria, non ex otiosorum hominum cerebro effusa, sed ex ipsâ, Artis Magistrâ, Experientia, eâque multiplici, deducta: non in angulis, non in gurgustis, inter nutrices & aniculas clanculum conficta, sed in luce atque conspectu hominum, maximèque intra Nobilium parietes, coram testibus idoneis gesta atque probata.

At,

At, inquiunt, inaudita est hæc medendi via & nova, à præcorum rationibus aliena, à nobis jam primùm recenter tradita: nôsti, quàm parum Nos quidem id quodcunque fuerit laudis nobis ipsis arrogemus; dixique aliàs, quibus id demum Authoribus ut faceremus, impulsi sumus. Sed quò magis, vel ut inventores, gloriam defugere, vel ut novatores, invidiam declinare possimus, liceat argumentum hoc longiùs ex ipso fonte repetere. Neque res erit, hîc præsertim, valde aliena, si & primam morbi originem altiùs persequar, & de vetustissimis quibusque, qui de eo locuti sunt, scriptoribus strictim pauca, haud omnibus nota, subjiciam. Quod quidem libentiùs facio, quia illorum tempora, uti hæcenus in libris notantur, non falsa modò sint, sed & confusissima. Neque verò id mirum tot fabulas, tantamque in rerum harum memoriâ obscuritatem reperiri, cùm nullus adhuc ad scribentium manus pervenerat Author idoneus, qui explicato ordine medicorum *Arabum* ætates persecutus esset: sed has demum tenebras primus dispulit, Vir reconditæ eruditionis, *Pocockius*, *Abul-Pbarajio*^a, eodem & Medico & Historico haud mediocri, in lucem publicam prolato^b. Quare, quod hucusque à nemine animadversum esse percipio, id quod est hujus argumenti breviter percurram, ut prima Variolarum notitia in quâ ætate extitisset, quatenus quidem ex Historiâ constat, possit intelligi.

Variolæ igitur, utcunque earum ortus sit fortasse, quàm vulgò existimatur, obscurior, tamen

^a *Vixit. A. D. 1284.* ^b *Oxon. 1663.*

men ab *Arabum* usque imperio initia duxisse videntur. Nam qui eas *Græcis*, etiam antiquioribus, cognitatas fuisse contendunt, planè ineptiunt: cùm ii, in signis morborum enarrandis scriptores accuratissimi, de hoc tamen literam prorsus nullam reliquerint. Neque me fugit, quòd ipse *Rhazes* ^c suo, non *Georgii* (ut vult *Sebizi* ^d decreto *Galenum* eas non omisisse, dixerit: quos quidem *Galeni* locos ego cum *Diomede Amico* ^e neque inveni adhuc, neque ad Variolas quoquo modo referri posse conjicio. Unus tamen *Rhazes*, qui multa priscorum *Arabum* scripta suo operi inseruit, ostendit, morbum hunc aliquot ante suam ætatem seculis fuisse notissimum.

Antiquissimus adeò, quem aliquid de Variolis memoriæ prodidisse constat, à *Rhaze* sæpius laudatus, *Aaron*, sacerdos; *Alexandriæ*, in quâ à *Ptolemæorum* usque temporibus floruerant literæ, & præsertim *Medicæ*, natus: qui *Mabumede* imperante, *A. D.* 622, sive circa *Hegiræ* initia clarus ^f, *triginta* de re Medicâ libros ^g, linguâ uti dicitur *Syriacâ*, composuit. Hic & signa Variolarum tradidit ^h, & erumpendi tempora explicuit ⁱ, & sive salubria, sive periculosa genera ^k notavit: etiam aliquâ ex parte curandi ^l modum attigisse videtur. Nam & cavendum esse ait, cùm semel eruperint, à frigidis; succum *Apii*, & *Fœniculi* præcipit, quò melius

^c *Contin.* 419. 4. 420 2. ^d *De Variol. Disp.* 2. Q. 1.

^e *De Variol.* c. 10. ^f *Abul-pharaj.* p. 99. ^g *ib.*

Haly Abbas Theor. c. 1. ^h *Contin.* 419. 2. ⁱ *Ibid.* col. 4. ^k 422. 1. ^l *ib.*

lius extrà prodeant Variolæ: medicinam denique, quò tam ori faucibusque, quàm oculis nihil asperius accidat, describit. Ita ut in *Ægypto* fortasse, *Aaronis* patriâ, eâdemque *Pestilentia* procreatrice haud infrequenti, prima, quantum ex monumentis suspicari licet, exordia habuerit Variolarum morbus: qui deinde, *Alexandriâ* ab *Amro* captâ, *Græcisque* ereptâ, inter *Arabum* nationem facile diffusus est. Haud ita multò tamen ante *Aaronis* tempora, etiam in *Ægypto*, Variolas extitisse fidem facit, qui superiore seculo vixerat, *Ætius Amidenus*: is enim, utcunque in eâdem *Alexandriâ* Medicinæ studuerit, omnemque rerum Medicarum farraginem congefferit, mentionem de iis nullam omnino fecit.

Circa idem tempus, sub *Herracii* ferè exitum, Anno nimirum 641, medicinam illustravit, sive potius Veterum, *Galen*i præcipuè, volumina contraxit *Paulus Æginet*us: in morbis mulierum tractandis insigniter peritus; unde ei cognomen *Obstetrici* accrevit. Itaque & suos de re Medicâ libros, uti advertere potes, à *Pregnantium* victu auspicatur, & affectus muliebres^o ferè fusius, quàm cæteros, enarrat. Peregrinandi studio multùm deditus fuit: cum tamen ille, scriptor, uti videtur, haud indiligens, nullumque à se morbum prætermisissum^p esse professus, de *Variolis* ne verbum quidem fecerit, satis magno argumento est, eas non modò vetustioribus *Græcis* fuisse incognitas, sed ne

Pau-

^m *Tetrabib.* 1. 1. *Ol. Cyzicen.* & *Ol. Salca.* ⁿ *Abulpharaj.* 114. ^o *Lib.* 3, & 6. ^p *Prefat.*

Pauli ipsius temporibus in *Græciâ* adhuc innotuisse.

Post hanc ætatem aliquot annis, A. D. 683, extitit *Maserjawaibus*, *Basorensis*, linguâ *Syrus*, religione *Judæus*, medicus, *Rhaxis* judicio, & perspicuus & sagax. Is *Aaronis* Presbyteri *Pandectas* medicas, *Merwano* imperante, in sermonem *Arabicum* convertit^q. Hujus & scripta quædam feruntur: in quibus oculorum etiam à Variolis male habentium curam tradidit^r.

Ut autem Variolas etiam in hâc *Arabum* ætate lethales aliquando fuisse appareat, *Alsaffabum* Chalifam eo morbo periisse, A. D. 753, testatur *Historia* s. Mox imperio suffectus *Almanzor* ex *Abbasidarum* stirpe profectus, literarum studia excitavit: cùmque *Bagdadi*, urbis à se jam recenter conditæ, stomachi infirmitate laboraret, *Georgium*, Medicum *Fondisaburi* celebrem, *Persicæ* atque *Arabicæ* Linguæ peritum, accersi jussit. Idem *Georgius* quædam de *Variolis* conscripsit: & tum quibus maximè tempestatibus^t sævire soleant, tum quibus notis^v internosci possint, satis disertè explicuit: aliquid etiam de earum præfagiis adjecit.

Tum, circa A. D. 795, *Johannes* filius *Mesuae*, Christianus, *Syrus* faceti Vir ingenii magnique nominis, scholam^x *Bagdadi* summâ cum celebritate aperuit. Itaque ætas ea maximam Medicorum copiam effudit. Hic scripta Veterum

q *Abul-pharaj.* 127. r *Contin.* 421. 3. s *Abul-pharaj.* 139. t *Contin.* 419. 2. v *Ib.* Col. 3. & 4. x *Abul-pharaj.* 153.

rum medica interpretanda suscepit, impulsu præcipuè *Rasbiâi Chalifæ*: cujus ille quidem salutem, uti & eorum qui deinde secuti sunt, usque ad *Almotawaceli* tempora præfuit: hoc autem familiarissimè usus est, tandemque, non nisi circiter A. D. 846, ætate provecior decessit. Libros autem composuit quàm plurimos, ordine quidem, uti notat *Haly Abbas*, carentes, in quibus & aliqua de Variolis præcepta dedit: nam, præterquam quòd eadem ad oculos atque *Aaron* præceperit, ventremque tympani inftar sonantem^z mali esse ominis edixerit, ad amovendas Variolarum Cicatrices *mirabile* ut dicitur remedium concinnavit, & decantatum illud *Laccæ Lentiumque* Decoctum primus descripsit: ^a Alvim etiam *Aquâ fructuum*, si necesse fuerit, usque ad septimum diem leniri jussit. At hujus scripta ita exaruerunt, vix jam ut appareant. Nam *Johannes ille Damascenus*, *Mesue* etiam dictus, cujus opera nos jam in manibus habemus, ab hoc nostro alius longè est, & longo intervallo recentior.

Sed hæc eadem ferè omnia, quæ de Variolis perstrinxit *Mesue*, è *Serapione*^b sunt itidem tradita: qui id etiam addidit, sanguinem inter initia, vel Venâ incisâ, vel Cucurbitulis, mitti oportere. Etiam lenientibus, à *Mesue* præceptis: alia quædam adjecit. Nam id quoque advertere licet, quòd hæc, quæ jam ex *Rhaze* sunt petita, etiam inter ea, quæ *Serapionis* nomine de *Febribus* habentur, verbis ferè iisdem explicata repe-

^y *Theor. c. 1.* ^z *Contin. 421. 1.* ^a *Ib. 4.* ^b *Contin. 421. 1. & 4. 425.*

reperias. Id autem in *Serapione*^c reprehendit *Haly Abbas*, quòd non investigaverit *Variolam* signaque ejus, & medelam propriam; sed interjerit ejus mentionem in calidi tractatu *Apostematis*: in quod tamen vitium delapsus est ipse *Haly*^d *Abbas*. *Serapion* tamen, utcunque *Rhaze* antiquior, quo tempore vixerit, incertum: qui enim eum, *Leone Isauro* imperante, circa A. D. 730, floruisse volunt, quâ id authoritate innixi asserant, haudquaquam percipio.

Successit autem *Mesuae* seni adolescens, *Isaac Jobannitii*^e sive *Honeini Ebadiensis*, (cui, quòd libros & medicos & mathematicos feliciter traduxerat, *Interpretis* nomen inditum) filius: alterius *Jobannitii*, *Interpretis*^f itidem dicti, pronepos. Ipse etiam *Græcarum* imprimis literarum sciens, & *Philosophiæ* studio incensus, *Almato-waceli* temporibus, rem medicam plurimum excoluit. Multa veterum monumenta, domestico exemplo, tam *Syriacè*, quàm *Arabicè*, traducta edidit. Id quidem hujusce familiæ naturale quoddam bonum: ita ut medicis, qui ex horum disciplinâ profecti sunt, quicquid jam extat vel *Hippocratis*, vel *Galenii Arabicè* versum, unice debeat. *Isaac* autem, quatenus quidem ex *Rhaze* intelligimus, de *Variolis* locutus, nihil nisi de sanguine quasi ad *deliquium* mittendo, *Ptisanâ* dandâ, deque ventre, si liquidior fuerit, coercedo, præcepit. Fortasse hic idem est, qui *Israelita* dicitur, quique opusculum de *Febris*, à *Constantino*, *Monacho Cassinensi*, eodemque

Scholæ

^c *Theor.* c. 1. ^d *Ib.* 8. 14. ^e *Abul-pharaj.* 171.
^f *Ib.* 163, *Herbelot.* in *Honain.*

Scholæ Salernitanæ quasi authore, Latine redditum, contexuit. Nam *Isaac* hic, de quo loquimur, *Christianus*, genus duxit ab *Ebadiis*; qui origine fortasse *Judæi*, ex diversis tribubus conflati, in *Castella* quædam, *Hiræ* vicina, secesserant g. *Isaac* verò, sive noster, sive alius, de *Febribus* differens, *Variolarum quatuor* h genera quaternis humoribus accomodata constituit: signaque earum, pustulis nondum proruptis, tradere contentus, curationem haud omnino attigit. Ascribitur etiam huic *Isaaco Pantechni* opus, quod diverso nomine *Complementum Medicinæ* dictum, ab aliis ad *Haly Abbatem* refertur. Certè, uti advertit *Symphorianus Campegius* i *plura sub Isaac titulo adducit Rhazes, quæ in Haly Abbate inveneris, nullo mutato verbo, & capite toto.* Sed de hoc scriptore plura suo loco dicemus.

Hunc proximè secutus, *Almoctaphi* temporibus, A. D. 900, *Josephus Alsaber*, sive *Vigilator* dictus, Vir & doctrinâ & famâ insignis, qui magnâ diligentîâ, quæcunque ad Medicinam pertinerent, congeffit. Sed vix quicquam eum de *Variolis* k docuisse constat, nisi quod ex *Mesue* fuerit depromptum.

Hæc ferè sunt, quæ ex *Arabum* scriptis ad *Variolas* pertinentibus excerpfit *Rhazes*: qui, uti observat *Haly Abbas* l in Volumine illo ingenti, quod *Continens* vocatur, Medicorum omnium tam veterum quàm recentiorum sententias, ab *Hippocrate* ad *Isaacum* usque, collegit. Sunt tamen

g *Ibid.* h *De Febr. lib. 2. 27.* i *Epistol. ad And. Turinam.* k *Contin. 420. 4.* l *Theor. c. 1.*

men & alii, qui incertæ utcunque ætatis, à *Rhaze* laudati, in hoc *Variolarum* argumento elaborârunt, Medici, viz. *Judæus*, *Tabri*, *Tarmadi*, *Bugajesu*; quorum quidem *Judæus* satis antiquus, quippe cujus mentionem fecerit, *Rhaze* senior, *Serapion*. Neque ille sanè spernendus author: utpote qui primus duo *Variolarum* genera, interstinctâ atque confusâ^m, indicârît: discriminaⁿ, quibus ex à *Morbillis* distingui possint, posuerit: in morbi denique decursu ea, quæ & exitum pustularum expediant, & recessum leni astrictione intercludant^o, præceperit.

Hactenus, quâ licuit, ex Antiquorum *Arabum* fragmentis in *Rhazis* unici Thesauro delitescentibus, opere *Abul-Pharajii* Chronologico adjutus, *Variolarum* Historiam pertexui. Vides tanquam in tabulâ aliquâ rudiore, quàm non infeliciter quidem adumbrata sint prima morbi lineamenta; ipsa verò forma neque ad vivum satis expressa, neque ad veritatem adducta. Præclare scilicet inchoata multa, perfecta non planè. Fortasse aliquid paulò limatius ex ipsius *Rhazis* officina prodibit.

Rhazes adeò, A. D. circiter 900, inclaruit: nam Anno 932 oculis captus, & senectute confectus, octogenarius scilicet, cessit è vitâ. Hunc *Maurum* fuisse volunt plerique; suosque de re Medicâ libros ad *Almanzorem*, vel *Cordubæ*, vel *Africa* Tyrannum misisse. Sed neque *Rhazes* *Mauritanâ* oriundus, quippe qui *Raiæ*, apud *Chorasanos* oppidi, natus fuerit & indeque

nomen

^m Cont. 419. 2. ⁿ Ib. 4. ^o Ib. 421. 4. ^p *Abul-Pharaj.* 191. *Herbelot.*

nomen adeptus; neque *Almanzor* ille, aut *Africa*, aut *Cordubæ*, sed huic itidem *Cborasanae*, q imperabat; *Sarracenicis* proculdubio Chalifæ vicarius. Fuit autem *Rhazes* Musicæ sciens, Philosophus & Medicus insignis, singulare sæculi sui decus, & antiquitatis multum, ut temporibus illis, peritus. Qui quanquam in Medicinâ exercendâ plurimum operæ insumpserit (unde ei *Experimentatoris* nomen, & Nosocomio tum *Raiensi*, tum *Bagdadensi* præfuerit, nunquam ferè à scribendo destitit. Quare etiam de *Variolis*, s multa multifariam & collegit, & composuit; præcipuè in opere t illo, in quo cunctorum ante scriptorum commentarios conclusit; quod quidem opus & in privatos fuisse usus à *Rhaze* compositum, & suis etiam temporibus haud facile inventu scribit *Halv Abbas*. v Quin & peculiari libello, quem Interpres quidam *Græcus* ex *Syriaco* sermone transtulit, quemque primus ex *Græco* *Latinum* fecit *Georgius Val-la*, Variolarum cursum curationemque exposuit x: quidque in *duplici* earum genere, discreto, atque confluenti, sequendum sit, diligenter advertit. Neque enim ea *Augenii* y suspicio ullo fundamento nititur, quasi liber hic non à *Rhaze*, sed à *Græco* interprete fuerit confectus: cum *Rhazes* ipse in iis, quæ de *Febribus* z docuit, ad hoc commentariolum Lectores non semel remiserit. Errat etiam *Augenius*, cum dicit *Rhazem* in iis, quæ in hoc opere, quæ-

q *Rhazis præf. Antidot.* r *Ibid.* s *Division.* 159.
 De Febr. c. 18. t *Lib.* 30. Tr. 13. v *Theor.* c. 1.
 x *De Pestilentia.* y *De Febr.* 9. 13. z *C.* 18.

quæque in *Continente* edisseruit, sibi minus constituisse: quippe eadem prorsus utrobique^a verba de *ætatis mutatione*, in quâ multus est, inferuit: ea verò, quæ ad *Blaëtias* atque *Variolas* pertinentia ille ex *Continente*^b profert, non *Rhazis* sunt, sed *Georgii*. Itaque *Rhazes*, scriptor sanè intelligens, tam in hoc de *Pestilentia* opusculo, quàm in ipso *Continente*, totum hunc de *Variolis* locum illustravit: ita quidem cumulatè plenèque, ut perpauca, vel ad signa stabilienda, vel ad elicienda præfagia, vel etiam ad curationem, in *primo* saltem stadio, rectè tractandam deesse videantur. Ex hoc fonte mihi videntur omnia, quæ ad *Variolas* pertinent, hausisse, qui deinde secuti sunt, *Arabum* magistri. Loquor, ut opinor; sed licet ex scriptis judicare. Neque enim *Rhazi* aliquid^c adjecit, utcunque de ejus fama detraxerit, *Haly Abbas*, *Persa*, vir eximiè doctus, unde & *Magi* cognomen obtinuit: qui, circa A. D. 980, in gratiam Regis *Adado'ddaulæ*, (cui magnifico more, patrio scilicet, assentatus est^d) librum suum *Almaleci*, (i. e.) *Regium*, construxit. ^e Is tamen liber, quasi primus inter *Arabas*, qui totius *Medicinæ* formam complecteretur, ab authore ipso prædicatur: & meruit certè, ut ante *Avicennæ Canonem* omnium manibus tereretur^f etiam, si curandi præcepta spectes, *Canone* ipso est præstantior. Quare hunc magno labore Latinè reddidit, A. D. 1127. *Stephanus Antiochenus*: quamquam

a *Contin.* 410. 1. *De Pestil.* c. 1. b 419. 4.
 c *Theor.* 8. 14. *Pract.* 4, & 5. d *Theor.* 1. 1.
 e *Abulpharaj.* f *Ibid.*

quam alii, uti vidimus, opus illud ab *Isaaco* esse conscriptum velint. Quin& ipse *Avicenna*, qui, A. D. 980, *Bocharæ* natus, A. D. 1036^e obiit, nihil quicquam de *Variolis* protulit, quod non ferè ad verbum de *Rhaze* vel sumpserit, vel furripuerit, nisi fortè excipias ea, quæ de *Mictu sanguinis* f advertit, & *Syrupig* ex *Dactylis Mirabile*, uti dicitur, exemplar: & est sanè *Syrupus* iste ex materiâ multiplici admodum & multiformi perquam mirabiliter coacervatus. Quò iniquior in *Rhazem* scriptor ille censendus est, qui eum, à quo permulta mutuatus est, sæpius occultè vellicat. Tamen ea fuit *Avicennæ* (haud perperam *Principis* dicti) fortuna, ut neglecto *Rhazis* nomine & propè intermortuo, (de *Variolis* loquor) in Medicorum scholis Regnum aliquot per sæcula tenuerit: neque id sane exemplo prorsus inaudito, ut qui aliena scrinia ausi sint vel apertè compilare, vel decenter magis in Epitomen conjicere, legitimi authoris lumen aliquando præstinxerint. Unde suo in *Avicennam* studio ita abductus est *Gentilis Fulginas*, ut eum *Rhaze* non modo meliorem, sed & antiquiorem authorem censuerit, postque eum h de *Variolis* haud imperitè quidem scripsisse *Rhazem* dixerit. Sed quo in numero habendus sit *Rhazes*, utcunque desertus, abunde demonstrat, insignis ille inter *Arabas* scriptor, *Al-sabaravius*, ejusdem, uti nonnulli volunt, cum

Aver-

e Pocock. in *Abul-pharaj. de moribus Arab.* 362.
 f De Febr. c. 6, & 10. g *Ib.* c. 10. h *Comment. in Avicen.* c. 6. de *Variol.*

Averrhoë ⁱ ætatis, hic enim, quanquam de *Rhaze* quidem profus reticuerit, eum tamen ferè in omnibus secutus est: ita diligenter fanè, ut verbo tenus capita illa, in quæ noster *Variolarum* curam ^k dispertierat, integra ^m descripserit.

Etiam ipse *Averrhoës*, & qui paulò vetustior fuit, *Avenzoar*, uterque *Arabs* in *Hispaniâ* licèt natus, nihil novi, quod quidem ad *Variolas* curandas attinet, de hoc argumenta attulisse præ se ferunt. Et tamen *Variolarum* Contagium illâ, uti videtur, ætate se, etiam per *Europæ* gentes, ita diffuderat, ut nullus eo morbo fuerit magis popularis: quippe si quis eo immunis vixerit, id instar miraculi fuisse testatur *Avenzoar*.

Dices fortasse me jamdiu de fæce hausisse, tantumque sive mei sive Tui otii in horridis hisce & ferè obsoletis *Arabum* monumentis consumi haud patienter feres. Sed quia prima hic *Variolarum* morbus inter *Arabas* exordia habuerit, solusque ferè sit, cujus Historiam ii ex *Græcis* non desumpserint, volui rem eam, involutam fanè & nemini adhuc, quod scio, satis perceptam, sic explicare, ut, expositis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia videres.

Itaque ut redeat tandem, unde deflexit, sermo, quid de medendi ratione, hoc præsertim morbi tempore senserit *Rhazes*, audiamus.

Hic adeò, licèt, morbo nondum ad summum perducto, ventrem solventia vetuerit, eo demum

ⁱ Ob. *A. Heg.* 595, sive *A. D.* 1198. *Pocock. Ib.* 385. ^k *Pestilent. c.* 4. ^m *Prætic. c.* 10. *Partic. 2.*

mum *Senescente* n. probat: eâ potissimum quidem de causâ, ut *natura levetur onere*, & *morbi materia minuatur*. Et profectò idem hic, in Medicâ arte multùm exercitatus, haud futilia signa posuit, quibus dirigi possit medentis iudicium: nimirum tum præcipuè hanc humiditatis educendæ viam indicari monuit, *si corpus fuerit submissum & invalidum, turgens tamen, aut erumpens, aut exceptum cum Albore & Rubore levi, & febris imbecillitate*: maximè verò, si ad hæc accesserit, *Pulsus undosus*: siquidem in re huiusmodi *plures sunt ictus & vehementes, morbosque denotant nimio humore corpus irrigantes, & ex his febres præsertim continuas* o. Putasne aliquem, aut verbis magis disertis, aut acriore unquam indicio morbo jam *Senescente* sive inclinante (scilicet ubi primùm inaruerint pustulæ) hæc de *Purgandi* ratione præcepta complecti potuisse? neque hæc solum præcepta, aliis ut usui essent, more quodam professorio tradidit *Rhazes*, sed ipse suâ, eâque sanè longissimâ, experientiâ comprobavit. Etenim illa, de *Filiâ Hebituseyn* p singularis est Historia: quam etsi aliàs tetigerim q, tamen, quia ad hanc nostram deliberationem perapposita est; liceat breviter tractare. ” Ea igitur, Camelarum lacte liberius usâ, in *Variolas* incidit: neque ei, antequam hæc *quarto* die eruperint, vel alvus purgata est, vel sanguis missus. Igitur circa oculos præcipuè, confertissimæ exierunt, ita ut *Vetulæ*, quæ astabant, eos Medicinâ serva-

n *De pestil. c. 14.* o *Lommii Med. Observ. lib. 3.*

p *De Mirabil. Curis, Lib. 2.* q *Comment. 7. 88.*

„ ri potuisse miratæ sint. Venter, ut moris
 „ est in hoc casu, semper astrictior. Tamen
 „ cum, sub exitu morbi, remanserit etiamnum
 „ aliquid *Febris acutæ*, cumque eam quidem Vir
 „ acutissimus ab humorum reliquiis, quæ per
 „ pustulas egeri non poterant, nasci videret,
 „ nullum aliud superesse auxilii genus, nisi pur-
 „ garetur ea, judicavit. Sed ea erat in hâc æ-
 „ grotâ virium infirmitas, corporisque languor,
 „ ut remedium paulò valentius sustinere nequi-
 „ verit. Itaque ille eâ moderatione sapienter
 „ usus est, ut nihil nisi Ptisanam, atque *Aquam*
 „ *Fructuum* (cujus Formula apud *Mesuen* ^r le-
 „ gitur) per *quindecim continuos* dies præcepe-
 „ rit: unde quidem quotidie *bis* fusa est alvus.
 „ *Quadragesimo* demum die, urina aliquid de-
 „ posuit: neque verò, ante *Quinquagesimum*,
 „ ad integritatem perventum est. ” Vides, qua-
 lem excitârit febriculam, & in quam vetusta-
 tem incidit hic Variolarum morbus: quem ta-
 men, *purgantium* ope, depulit tandem medici
 sagacitas, & quædam in ipso medendi genere
 pertinacia.

Eandem curandi viam, atqui iisdem ferè ver-
 bis præcepit, *Rhazis* sectator, utcunque magi-
 stri immemor, *Alfaharavius*: *alvum* scilicet, mor-
 bo jam ad *statum* perducto ^s *leniri* jubet, ma-
 ximè si ægroti vires constiterint, Pulsusque *vir-
 tutem* habuerit: eaque remedia ut hâc in re præ-
 aliis idonea commendant, quæ calorem minùs
 excitent.

Deinde per aliquot secula, apud Medicos

Eu-

Europæos altum de hâc in Variolis *purgandi* ratione silentium: neque verò id mirum; filuit enim ipse *Avicenna*; ita ut frustra aliquid apud eos quæras, quod *Princeps* omiserit.

Tandem literis aliquando renatis, & excusso jam ferè *Arabum* jugo, homines, non ex aliorum autoritate omnia proferre, sed experientia duce uti, suamque sequi sententiam didicerunt. Hanc igitur sive Artis, sive naturæ molitionem innuit, sagacissimi Vir ingenii, *Fernelius*: qui paucissima licèt verba de *Variolis* locutus, hunc tamen morbi *furorem* tum demum *comprimi* scribit cùm *soluta alvus humorum, qui contaminati fuerunt, reliquias Crisi exturbet*^t. *febremque* prorsus *persistere* notat, dum citâ *alvo sæda illa proluviis exeat*^v. Conjunctus ferè hujus ætati *Marcellus Donatus, Mantuanus*, qui Recentiorum omnium primus integram de *Variolis* tractatum condidit, utcunque hac in re paulò cautior, ubi tamen se inclinaverit morbus, atque pustulæ exaruerint, maximè si *febris vel symptoma aliquod urgeat, Alsabaravium* secutus ventrem leniter ducentia suadet^x. Quinimo si *fluxus supervenerit ob materiam derelictam à naturâ, quam per cutim non excretam, per album extra mittere tentat*, hunc naturæ conatum à prudenti Medico, *Rhabarbaro* aliisque id genus remediis adhibitis, *juvandum* esse præcipit, eosque planè irridet, qui *nunquam utendum esse in fluxibus alvi, solutione ventris contendunt*^y.

Alii item, qui in hâc nostra disciplinâ, iisdem
propè

^t De *Abdit. Caus.* 198. ^v *Pathel.* 43. ^x De *Variol.* c. 26. p. 189. ^y C. 30. p. 209.

propè Marcelli hujusce temporibus, floruerunt, in Italiâ quidem *Mercurialis*^z, *Rod. à Fonseca*^a, *Campolongus*^b, *Diomedes*^c *Amicus* in Galliâ, *Paræus*^d, in Hispaniâ denique *Mercatus*^e; eundem de hâc ventris solvendi viâ sensum habuisse videntur. Quorum sanè vestigiis permulti deinde & harum & aliarum etiam gentium Medici institerunt.^f Ita ut *Ballonius Pariensis*, Vir in Medendi exercitatione, inter elapsi seculi initia, versatissimus, sermonem de *Variolis* sic concluderit, se longâ nempe experienciâ doctum „ fuisse, quod in popularibus morbis, in quibus *Exanthemata* apparuerant, sæpius iterata „ *Venæsectio* & *profusio alvi*, imo olida prolu- „ vies tum arte, tum naturâ, tum vi morbi „ procurata, multos orco eripuerit. ” Neque ea, quam de *blandâ purgatione* locutus, *J. Chicotius*^g narrat, Historia prætermittenda est: siquidem ea exponit, quemadmodum *Simo Petrus*, refragantibus Medicis tribus eâ ætate clarissimis, *Alanio*, *Marescoto*, *Dureto*, Senatoris *Parisiensis* filiam, sub exitu Variolarum, febre periculosissimâ laborantem hoc medendi instituto servaverit.

Ita videmus ad hâc usque tempora invaluisse, ubi semel inclinatus esset Variolarum cursus, hanc *purgantium*, commoditate doctrinam.

Præ-

z *Morb. Puer.* 25. a 252. b *De Variol.* c C. 6. d *Lib.* 19. e 462. f *Jul. Cesar. Claudin. Empir. Rat.* 287. *Epiphan. Ferd. Cas.* 78. *Franc. Pomius, Siculus. Fr. Rubeus, Genuensis. Exc.* 8. *Zacutus, Lusitanus* 786. *M. Sebizius* 6. 5. *Jos. de Medicis, Cretenensis. Lister.* 320. g *Epistol. de Variol.*

Præcepta quidem illa, uti ab Authoribus tradita sunt, & rationi, & experientiæ omnino congrua: sed quæ nimium tamen laxa, & ad morbi momenta nondum satis exquisitè accommodata fortasse haud perperam judicamus. Nam, aut quo præsertim tempore, aut quo demum die *purgatio* illa institui debeat, à nemine adhuc perscriptum. Tandem eam *Sydenhamus*, in Variolis confluentibus, *decimo tertio*, si modò præmissa fuerit Venæ sectio, præ cæteris remediis convenire arbitratus, prorsus interim ante hunc diem tentari vetuit. Sed id, quemadmodum ^h alias monui, atque uti ex his, quas recensui, Historiis perspicuè liquet, frigidum nimis consilium, nec satis pro periculo expeditum. Itaque siquid nos novi fecimus, in eo novatum est, quòd, cum citius plerumque, quàm die *Decimo tertio*, ad ultima ventum sit, hoc auxilii paulo maturius etiam arripi debere rati sumus.

Quò tamen minùs miremur argumentum hoc à scriptoribus paulò laxiùs atque confusiùs esse tractatum, in promptu est observare, (quod tamen parum intelligi video) eos ne *febrem* quidem ipsam, quæ maturescendi tempore hujusce generis *Variolas* perpetuò consequitur, pro rei dignitate satis advertisse. Atqui, in his ipsis morbi diebus ægrotantium pars longè maxima & periclitatur, & interit: ita ut, qui locus acrius medentis judicium, curandique præcepta magis subtilia desiderat, in illo eos aut reticere penitus, aut, si vitæ periculum spectes, nugari comperias.

^h *Comment.* 91.

perias. Quid enim ipsi *Arabes*, interque eos ille ipse, quem sæpe nominamus, *Rhaze*, in hoc difficillimo rerum momento, persecuti sunt, nisi ut *oculis*, ut *naribus*, ut *gutturi* subvenirent, ut *vestiga* demum Variolarum & *cicatrices* abstergerent, *secundæ febris* quasi immemores? consilia fanè ea ad ægrotantium sive levamen, sive venustatem fatis commoda; ad salutem parum fructuosa.

Mirum profectò videtur, quòd inter tot, qui deinde secuti, sunt Authores, nemo fere, si *H. Augenum*, atque *Diomedem Amicum* exceperis, *febrem* hanc à Variolarum *suppuratione* ortam vel leviter quidem tetigerit: horum autem neuter omnino, aut quibus illa diebus primùm accedere, aut quem cursum tenere, aut quas molestias afferre soleat, explicuerit. Etiam ii, qui de hoc argumento integros libellos ediderunt, uti *Donatus*, *Campolungus*, *Antonius Portus*, totam hanc de *febre secundâ* disquisitionem prætereunt: neque quicquam huic rei lucis attulit, scriptor utcunque prolixus, inque omnibus omnium sententiis simul congerendis sedulus, *Sebixius*. Et hi quidem universi ita in morbi *Historiâ* claudicant, ut nec *Stadia* à Variolis percursa, nec *Salivæ* profluvium illud, quod in *Confluentibus* ferè perpetuum est, uspiam meminerint. Quæ fanè omnia non ab *Exteris* modò, etiam à *Riverio*, sed & à *Willisio* nostro (quod mirabile) intacta planè relinqui percipis. Adeò, utcunque id primâ fortasse facie incredibile videatur, legendi studiosa fatis patebit, in his, quæ indicavimus, mancos omnino fuisse & imperfectos scriptorum de *Variolis* commentarios, *Rhazis* usque

usque à seculo ad *Sydenhami* tempora: qui sanè magnâ an medentium magis, an ægrotantium felicitate, hoc, quicquid defuit, largiter supplevit; morbique diversa & *stadia* & *genera* luculentius exposuit unus, quàm alii omnes gentium omnium atque ætatum Medici. Neque in extremo hoc *Variolarum* quasi actu, uti cæteri, defecit: sed, cùm multa ad hanc febrem vel minuendam vel extinguendam sapienter præceperit, tum potissimum hanc alvi movendæ viam, ab omni retro antiquitate institutam, *primus* tamen inter nostrates invexit. Ita ut eos, qui hoc *purgandi* consilium, tanquam *inufitatum novumque*, simulant, in Medicæ artis monumentis minimè esse versatos oporteat: qui quidem ut suis sibi placeant commentis, puerilibus licèt, haud repugno; ut verò de harum rerum Historiâ decernant iidem, literarum rudes, nequaquam assentior.

Sed sit hæc, quæcunque demum est, *purgandi* ratio *nova* atque *inaudita*: quasi verò scelus esset medendi rationem excogitare, quam non tenuerunt Antiqui; aut quasi Ars Medica ita numeris omnibus absoluta esset, ut nihil emendari, nihil adjici possit. At non reprehendendus igitur *Sydenhamus*, qui de *Variolarum* curatione, quæ quidem ante eum, uti videmus, rudis omnino fuit atque inchoata, permulta nova, eaque momentum ad vitam maximum habentia, edidit? An ille verò omnia ita limavit & perpolivit, ut nihil ei quicquam, qui deinde secuti sunt, attexere possint? Credo nos malè meritos esse de iis, quos sanitati restituimus, quòd in hâc re vires ingenii periclitati sumus, & quo-

usque in casu longè difficillimo provehi possit Medicina, experti. Præstitisset certè viâ tritâ, atque adeò tutâ prudenter incessisse: fuisset fatius metu medico instructos, priscorumque vestigia religiosè persecutos, nihil tentâsse; & extra Artis regulas parum evagatos, morientibus astitisse, non eos à morte vindicâsse. Idem sine dubio fecimus occidentibus, qui nova quâdam ratione ausi fumus ægrotos fervare.

At regerunt, non semper hoc purgandi instituto salutem ægrotantium procurari. Nos fanè ii non fumus, qui hominibus, mortales cùm sint, immortalitatem promittere speremus: neque nos, ut, quæ sit nostra tenuitas, fateamur, ullam adhuc novimus Medicinam, quæ certò atque constanter omni in casu sit valitura: præsertim in hoc Variolarum morbo, ubi, quod frequenter fit, materia purulenta viscera etiam interiora occupaverit, *abscessumque* vel circa præcordia, vel in Pulmonibus fecerit, persæpe fallimur. Ii qui feliciore ingenio hoc contra mortem *Antidotum* expiscati sunt, in lucem aliquando proferre dignentur. Quippe illa fanè remedia, quæ grande quiddam polliceri videbantur, spem nostram hætenus fefellerunt: etiam insignis ille *Alfabaravii Pulvis*, qui, si *variolæ novem prodierint, ne tamen prodirent decemi*, olim vetuit, quascunque antiquis temporibus vires habuerit, nunc quasi effætus vetustate tandem elanguit. Neque aliam habuit fortunam *Polychrestus Waldsmidii Spiritus*: cujus ita miros effectus se vidisse testatur gravissimi scriptor judicii *J. Dølæus*,

*læus, ut spondere audeat neminem in posterum mori posse, modò hoc utatur medicamento** Sed uti ætate omnia in deterius eunt, Variolis correpti, quantum audio, jam, etiam in Germania, aliquando moriuntur. Quanquam in illâ quidem regione, ea Variolarum species quam nos *Confluentes* dicimus, rarior sit; quemadmodum ex literis, quas ad me perhumaniter scripsit Vir Eruditissimus, T. Hoffmannus, Professor Halensis, intelligo. Idemque, de purgatione in Variolarum morbo locutus, nunquam se vidisse ait in Artis operibus tractandis satis feliciter illos procedere, qui, eruptione plenâ jam factâ, alvum solvere reformidant; quo sine semper benignioribus usus est; idque ut facerent, author monitorque auditoribus suis fuit.

Sed ut tota hæc de purgandi ratione quaestio melius intelligi possit, de eâ paululum argumentari liceat: cubat ægrotus, sub Variolarum exitu, febre vehementi detentus: pustulae exarescunt; ita ut nihil ultra à sanguine per cutis spiracula trajici, nihil intrò à Cute ad sanguinem devehì possit: auxilia cætera vel nihil hætenus responderunt, vel intelligentium omnium iudicio parum sunt responsura: &, nisi Ars Medica intercedat, extremum Vitæ discrimen subeundum. Sines igitur hunc patienter mori? an non potius in re admodum periculosa experimentum facies, siqua fortè sit salutis expediendæ via? Ad has angustias cum ventum sit, nequaquam oportet dubitare, an anceps præstet dare remedium, an nullum: quod, utcunque

anceps,

k *Encyclop.* 574.

anceps, potest fortasse vitam servare, potest saltem ad dies aliquod protrahere. Sed quid si non successerit; satis est, ut quis hoc Medicinæ genus jure experiri putetur, si id vel in millesimo corpore profecisse compererit.

Meministi fortasse casum Adolescentuli nobilis atque eximii singularem. Laborabat is pessimo Variolarum Confluentium genere: pustulæ quidem densissimæ, materiâ tenui, minimèque cocta diffluentes, ita ut, sub finem, univèrsum propè corpus quasi erosum crudesceret. Maxima cum difficultate ad *nonum* pervenit diem. Pustulæ in facie siccæ nigerrimæque. Nullus omnino in manibus tumor. *Delirii, Comatissimæ* frequens reciprocatio, nec spiritus satis expeditus. Febris supra modum exarsit. Nihil prorsus, quæ adhibita fuerint, profecerant *Vesicantia*. Tu cum tanto eum in periculo versari perciperes, *Electuarii Lenitivi* ℥ iij ut sumeret, imperasti. Unde alvus *bis terve* demissa, utcunque non ita multum levamenti attulerit, præsens tamen periculum avertit. Nam ne huic quidam nocti eum superesse potuisse putabatur. Postridie cum Vir Clarissimus *H. Sloan* mecum esset accitus, omnes periculum vitæ maximum jam tum imminere rati sumus, nullamque subesse spem prospeximus, nisi lenior aliqua facta evacuatio rem in melius mutaret. Itaque Cucurbitulis admotis detractæ sunt sanguinis ℥ iv: unde cum Febris tenuaretur aliquantulum, cætera quoque remiserunt. Vesperis, *Clyster* inditus ventrem *bis* movit. *Undecimo*, febris paulò quietior: sed cum Tussiculâ perstitit adhuc aliqua spirandi molestia: neque prorsus

fus decessit delirium. Major etiam in somnum, quàm par erat, propensio. Quare *Linctum* cum *Oxymelite* mixtum, & hujusmodi Medicinam præscripsimus.

℞. *Decoct. Sen. Gereon.* ℥ ij.
Syr. Ros. Salut. ℥ ß.
Aq. Pæon. C. ℥ ij. *M.*

Hinc alvus *bis* leniter soluta: Mane adeò, die *duodecimo*, omnia insigniter mutata. Nam, cum ferme conquiesceret Febris, tum delirio, tum spirandi molestiâ vacavit. Urina etiam bona coctionis signa præbuit. Pulsus æquis quidem intervallis motus, sed minutulus. Præscripta sunt, quæ vires jam diu infirmas reficerent, *Cardiaca*. Postridie, cum Febris recrudesceret, injectus est *Clyster*: fatis quidem cum levamine, quod tamen non nisi ad pauculas horas perductum. Nam febre rursus inardescente, cætera etiam in deterius ibant: & *decimo quinto* die, cum vires haud ultrà sufficerent, suis desideratissimus morbo succubuit.

Hæc fusiùs ideo enarrare volui, ut, quam in rebus planè desperatis vim teneat *purgatio*, intelligi possit. Habent nos confitentes id semper haud præstare purgantia, quin aliquando moriantur *Variolis* laborantes; sed qui aliquà cum solertiâ rem æquè judicabit, hâc ipsa Historiâ percipiet, nos ægrotum his artibus ad *decimum quintum* diem perduxisse, qui vel *nono* vel *undecimo* saltem sine dubio occubuisset, si hæc *purgandi* ratio non fuisset adhibita. Quòd si mortem penitus propulsare minùs potuimus, aliquot
tamen

tamen dierum inducias consecuti sumus: idque esse medici officium credo, ut ægrotantium vitas, quousque arte id efficere possit, protrahat, utcunque ad breve tempus duraturas. Quis enim, his in rerum difficultatibus, vel acutissimo ingenio præditus augurari potest, cum hoc vel tantillum temporis nacti sumus, an non ad salutem ægri suis ipsa viribus valere natura, saltem an non aliquid etiam conferre possit Medicina? Sanè multi in his casibus medentium vel incuriâ vel timore videntur periisse, qui, Artis ope, satis feliciter poterant ex hoc gravi periculo explicari. Sed quod ad purgandi rationem spectat, hæc, quantum ego observatione didici, feliciter opportuniusque, contrâ ac nonnulli sentiunt, in *adultos* quàm impuberes exercetur: eâ credo de causâ, quòd cum in illis vires fuerint firmiores, accuratius etiam de viribus, in quo quidem totius rei cardo vertitur, elici possit iudicium.

Hæc adeo disputavi, ut appareat Medicum non semper errasse, siquando parum ex sententiâ cesserit rei exitus: eumque satis cum iudicio atque arte adhibuisse medicinam, quæ tamen minùs ad ægroti salutem profuerit. Quemadmodum in *Sphacelo*, membrum emortuum haud imperitè reciderit *Chirurgus*, licet ille, cui id ita recisum sit, brevi moriatur: quippe cum ea demum restet unica, quæ vitam tueri potuerit, Medicina. Ita in morbis *Apoplecticis*, nonnunquam sanguinis detractio parum proficit; sæpe etiam, quod in medendo versati experimur, ubi insanabile fuerit malum, ut vita sit paulò brevior, facit. Quis tamen in Medicinâ ita rudis est, ut hoc in casu non sanguinem mit-

si jubeat? nisi enim hâc ille juverit viâ, nullâ aliâ potest ad fanitatem perveniri. Quanto magis quis in hoc extremo Variolarum discrimine ad *purgantia* confugeret; ubi fortasse aliquam vitæ conservandæ speculam, protrahendæ saltem certam habuerit fiduciam.

Nam ut de periculo aliquid dicam, quod ex hâc medendi viâ quasi certò oriturum reformidant nonnulli, ii mihi parum videntur intelligere, vel quid morbus iste ferat, vel quo demum modo hâc adhibere debeat Medicina. At quem enectum, quem *purgatione* sublatum nôrunt? isti fortasse nôrunt: nos quidem neminem omnino novimus: imò neminem, cui non saluti fuerit, nisi in re, omnium judicio, planè desperatâ. Id præterea, quod mirum fortè videbitur, dicere possumus, neminem ex iis, quos servare non potuit hoc auxilii genus, *alvi* unquam *profluvio* intercidisse, neminem in ipso purgandi cursu periisse: hos ipsos verò, qui, adhibitis utcunque *Catharticis*, perierint tamen, semper inde ferè ad tempus aliquod fuisse levatos. Et hoc quidem rationi satis congruum; quippe nimiâ jam morbi gravitate laborat Natura, nec necesse est, ut intestinorum onus accedat: quænam igitur illam expeditiùs recreabit Medicina, quàm quæ hanc fæcum sarcinam extruserit? Neque verò, si sponte oborta alvi fluxio (quod tamen non ita sæpe fit) aliquando exitio fuerit, idcirco nefas habendum est, hoc morbi tempore, alvum ciere; maxima quippe has inter res, utcunque convenire videantur, discrepantia: altera enim vires planè exolutas esse significat; in alterâ quidni liceat,

si cætera consentiant, experiri viribus accommodata purgantia. Ideo tamen minus ex hæc evacuatione periculi, quòd eam ad arbitrium nostrum moderari possumus; vel mediocri quantitate, vel longioribus intervallis, vel ea quæ sunt mitissima remedia exhibendo. Quid quòd in hoc Variolarum tempore alvus, cum tamdiu clausa fuerit fæcibusque supra modum opleta, haud ita libenter obsequitur, ut aliquem fluxionis nimiae metum injiciat. Itaque nostris in manibus est habenas vel adducere, vel remittere; licet hoc purgandi experimentum, citra discrimen omne, modo lenissimo tentare; licet, siquid boni attulerit, per vices iterare, ita ut gradibus demum, quòd volumus, perveniri possit. Quare cum hoc remedii genus, non noxam modò vacet, sed ægrotantium commodis apprimè serviat, miror quorundam hominum tarditatem, qui id præjudicatâ opinione penitus averfantur; vel saltem ita timidè gelidèque administrant, ut non, nisi cum salus jam in præcipiti sit, experiri velint. Quasi verò opperiri periculum satius sit, quàm præoccupare: quasi ille levioere negotio ex hæc morbi asperitate non emerfurus sit, cui die *nono* vel *decimo* ita succurritur, quàm si hanc, malo jam inveterascente, ac *decimum tertium* aut *quintum*, medicinam distulerint.

Sed vide, unde omnis hic error ortum duxerit; timent nimirum, ne, institutâ *purgatione*, recedant Variolæ, ne ad Centrum (ut ajunt) refugiant humores, ne manuum denique tumor (quod tamen secus accidit) evanescat. Sed meminert id sapienter, ut cætera, advertisse Syden-

Benhamum^m; ,, Febrem hanc scilicet putridam,
 ,, quæ *undecimo* die Variolis Confluentibus la-
 ,, borantes adoritur, ab ipsis Variolis prorsus
 ,, esse diversam: neque aliunde nasci, quàm quòd
 ,, particulæ putrescentes à pustulis jam adeptis
 ,, maturitatem suam in sanguinem resorptæ fue-
 ,, rint, caloremque hunc invexerint. Neque
 ,, enim hoc in morbi statu pustulæ jam in duri-
 ,, tiem incrustatæ, aut introrsum agi, aut intra
 ,, Cutim se recipere, aut minimam molis suæ
 ,, partem amittere possunt. ,, Itaque ille, quâ
 erat solertiâ, nullum huic feбри remedium ex-
 cogitari posse judicat, nisi quod à *Venæsectione*
abvique ductione derivatur. Neque eadem sanè
 nunc est Variolarum ratio, ac *Tumoris* alicujus
 jam in suppurationem abituri; in quo quidem
 præpropere adhibita purgatio, ne tumor ille ma-
 turescat, prohibet: pure tamen per tumorem de-
 mum, quâ licuit, educto, siquæ illinc reliquiæ
 sanguini labem intulerint, hæ, medicorum om-
 nium judicio, *purgantibus* maximè exterminan-
 dæ sunt: idque in *Ulceribus* quandoque facien-
 dum esse monet *Hippocrates*ⁿ. Itaque vide *Dio-*
medem Amicum, qui primus, ex paucissimis,
 quantum ego percipio, *Febrem* hanc maturescen-
 tibus Variolis supervenientem disertis verbis ex-
 plicuit, & ab *Ephemerâ*, quæ ratione *Aposte-*
matum fit, haud dissimilem^o notavit, ad hanc
 opinionem accessisse: nam in declinatione mor-
 ,, bi, ubi cognitum sit, ex perseverantiâ Febris
 ,, & aliorum Symptomatum, reliquias humo-
 ,, rum

^m Sched. Monit. 84, &c. ⁿ De ulcerib. 4. ^o Tra-
 ctat. de Variol. c. 6.

„ rum in corpore adesse, levioribus *purgantibus*
 „ evacuationem tentari jubet: quæ quidem eva-
 „ cuatio ea est, quam illius iudicio, (*haud recto*
 „ *fortasse*) post septimam fieri in tali casu & *Rha-*
 „ *zes* & *Serapion* præcipiunt P. „ Eo ætate pau-
 „ lò recentior, Annorumque *quadraginta* experi-
 „ entiâ instructus, *Josephus de Medicis Cretensis*,
 „ postquam immaturæ filiorum morti indoluerit,
 „ nunquam esse sub Variolarum exitu fidendum fe-
 „ bris remissioni pronuntiat; „ strenuè autem pug-
 „ nare debere medicum arbitratur, & omni co-
 „ natu curare, ut reliquum putredinis & Ca-
 „ cochymia per varias vias, maximè per Ve-
 „ næsectionem & *lenem purgationem*, totaliter
 „ è corpore educat atque extrudat. „

A *Febre* scilicet, quæ Variolas paulò spissiores
 constanter sequitur, magnæ excitantur molestiæ:
 quare, ne *repullaret* ea, quidam acri studio labo-
 rarunt: seque hanc *prævenire* hisce artibus posse
 putaverunt, si *Corticem* & *Peruvianum*, paulò
 ante ipsum morbi impetum, exhibuerint. Cæ-
 leste quidem id Medicinæ genus! quæ, si modò
 & *Febrem* hanc *præoccupare*, & *foveas* abolere
 sit certissima, duas eodem tempore mortalibus
 res longè maximas impartiendo, & salutem pos-
 sit simul & pulchritudinem tueri. Sed sive id
 mali, sive remedii forte mutetur, hæc *Corticis*
 istius facultas dudum intercidit: ita ut illi po-
 tiùs nunc audiendi sint, qui feliciore consilio usi,
ipsa Variolarum semina solerter proliciendo, nè
 cæ prorsus erumpant, aut, si eruperint, ut se
 ite-

p *Tractat. de Variol. c. 10.* q *Morton. 199 200.*
 r *Ibid. 323.*

iterum recondant, cavere sciunt. Itaque ab iisdem, qui hanc artem possident, ut brevi ad interitum venturus sit hic Variolarum morbus, haud temere expectamus.

At quod ad curationem spectat, hæc quidem in febribus putridis aliisque etiam, quæ paulò difficilius solvuntur, *purgandi* ratio ab omni retro antiquitate ad nos tandem defluxit: hanc dixi alias ^s in acutis febribus ab *Hippocrate* fuisse aliquando tentatam; quòd si *sapissime* dixeram, haud opinor errassem. Ille enim medendi magister solertissimus, utcunque effata quædam communia, quæ huic fortasse opinioni minùs favere videantur, ediderit, tamen cum de hoc argumento distinctiùs differat, ad multas varii generis *febres* hanc potissimum medicinam adhiberi imperat ^t. Ita in *febre forti* ^v, ubi dolor universum corpus occupaverit, in *Lipyriâ* ^x, in *Volvulosa* ^y, in *Pleuritide* ^z, quæ quidem *inferior*, utpote septum infra transversum sita, dicitur, *purgantia* commendat. Pariter in *Cholerâ* ^a, in *Fecoris* ^b & *Lienis* ^c morbis, in omnibus ferè *uteri* ^d *inflammationibus*, etiam aliquando & *pulmonum* ^e, aut ubi capite vulnerato *Febris* atque *ignis sacer* ^f corripuerint, aut ubi ad *fauces* febrilis humor defluerit ^g, eadem omnino medicinâ liberè est usus. Atque ille quidem hanc

curan-

^s *Comment. in Hippocr. t Aphor. 4. 10. v De affect. 13. x De Veratri usu. y Ibid. z Ibid. & 2. Viêt. Acut. 11, 12, 13. & 4, 76. a 4. Viêt. Acut. 105, 106. b Intern. affect. 38. & Seq. c Ibid. 33. & Seq. d De Morb. lib. 3. e Ibid. lib. 2. f De Vulner. cap. 27. g Viêt. Acut. 4, 37, 38.*

curandi rationem ita sequitur, ut tum præcipuè eam institui jubeat, quando Febris à *bile* ^h, redundante, quod quidem aliquando fit, oriatur. Denique hanc quasi perpetuam *purgandi* regulam in *acutis febribus* ponit, quando scilicet *urina* ad crassitiam deveneritⁱ & sanè id, uti optimum in Variolis signum est, ita & hoc morbi tempore *purgationem* commodè institui posse significat. Nec ea quidem, quam adhibuit *Hippocrates*, semper ex lenissimo genere: utpote qui aliquando, veluti in *Pleuriticis*, *Helleborum* & *Peplium*^k, valentissima remedia, præceperit. Ita ut, qui Indicem modo *Hippocraticum* versare calluerit, quinam fuerit viri illius de omni hoc purgandi instituto sensus, haud difficulter elicere potuisset. Neque contrà quid facit, si in libello (intelligentium omnium opinione, maximè *adulterino*) (interdictum esse videatur, nè, nisi *febre jam remissa*, & *decimo quarto demum die*^l, *purgantibus* uteremur. Quippe si quis legendo ulterius, ad paucissimos quidem versiculos, processerit, quæ sit istius etiam Authoris mens, ubi quid periculi imminuerit, per mediocri judicio consequetur. Subdit enim iste^m, *At si hac die susperstes maneat, & unà cum purgatione remittat Febris, sanus erit. Quibus verbis*, (inquitⁿ, scriptor haud vulgaris, *Antonius Ponce de Sancta-cruz*) duo apertè insinuat, & *purgationem posse fieri, & posse prodesse*: quæ

locus

^h De affect. 13. de intern Affect. 38. & Seq. De locis in Homine 38, 39. de Morb. 2. 35, 36. ⁱ Viç. Acut. 4. 43. ^k Viç. Acut. 2. 11. ^l Περὶ Φαρμάκων. 4. ^m Ibid. 5. ⁿ Imped. magn. Auxil. lib. 3. c. 12.

Locus mihi videtur singularis ad existimandum in urgentiâ Hippocratem pharmacum exhibuisse minorativum. Nam 1^{mò} agit de febribus acutis. 2^{dò} postquam timuit, aut abstinuit à purgatione, ait 3^{io} si die Purgationis superstes sit æger: explicans in magno periculo constitutum ægrum bibisse Pharmacum, & profuisse. Ergo iniquum est non tentare istud ad auxilium, quod in summi periculo unicum restat.

Sed hanc Hippocratis doctrinam, uti optimè intellexit, ita passim acerrimè vindicavit Galenus; putridam materiam, ubi corpori inhæserit, solâ purgatione abducendam esse pronuntians^o, Iique, qui in veterum scriptis sive interpretandis sive excolendis diligentius elaborârunt^p, de hâc febrium curandarum viâ fusiùs sunt locuti: ita ut nemo jamdiu sit, qui, ubi Putridi humores febrî ortum dederint, eos purgatione evacuandos esse non censuerit, quæ, ut Fernelio loquar, *Cacochymiam* q una subtrahit. ,, Sic sæpe, uti idem scriptor de *Febribus* etiam locutus observat, artis usu animum, madversum est, crudioris humoris purgatione, sive sponte, sive arte ea contigisset, accelerari Concoctionem, moxque urinas puriores & cum sedimento fieri, & ancipitem periculosumque morbum tutum, salutaremque reddi. ,, Neque veriti sunt illi se, hac purgandi ratione, aut bilem aucturos esse, aut nimium in sanguine calorem excitaturos; cum & mitiora mediæque materiæ fuerint, quæ in hâc

^o *Metb. Composit. passim. p Prosper. Martian in Vict. Acut. 386. Vallesii Metb. Med. lib. 2. Lommius de Febrîb. Hercul. Saxon. 654, &c. q Metb. Med. 83.*

hâc febrium putredine fuaderent: id quod etiam in *hâc*, quam sequimur, Variolarum curatione tenendum esse docuimus. Hos adeò secutus *Sydenbamus* non modò in *Peripneumoniâ* ^r *Notbâ*, sed & in *Hyemali* ^s, quam vocat *Febre*, à succis putrescentibus ortâ, evacuantibus unicè innititur: notatque eam, *post unicam Plebotomiam, & tres purgationes, ut plurimum cessâsse*. Imò in ipsâ *Febre pestilentiali* ^t, quæ anno à peste proximo vehementer sæviit, ausus est, præmissis quæ sudores uberrimè provocarent, *post viginti quatuor horas Catharticum propinare*: Quam quidem medendi rationem ita ex voto respondisse gloriatur, *ut ne unus quidem fuerit, quem eo morbo laborantem amiserit*.

Et certè sunt febres, sive eas malignas sive alio nomine vocaveris, ubi diutiùs inhæserint, neque integra aliqua intervenerit Crisis, quæ nullam ferè aliam curationem recipiunt, nisi lenioribus *Catharticis* institutam. Hoc quidem quotidiana testatur experientia; nosque nuperrimè in ægrotis *tribus*, exemplo satis memorabili, verissimum esse percepimus. Omnes hi febre ferè simili correpti: quæ, utcunque continenter detinuit, nunquam ad insignem aliquem caloris gradum est evecta: aliquando etiam remittere visa. Omnibus caput mirabili modo per plurimos dies tentatum: ita tamen ut hic, vel delirantis vel fatui more, perpetim decubuerit; ille, non modò veterno, Lethargici instar, sed singultu per *undecim* continuos dies, quod quidem per-

ra-

r *Constitut. Ann. 1674, 1675.* s *Postscript. ad Edition. 1685.* t *Ann. 1665, 1666.*

rarum est, laborârit; *tertius* autem, tum Vocis facultate amissâ, tum nervorum distentionibus per intervalla abortis, horrendo fuerit spectaculo. Febris omnibus ultra *viceſimum* diem producta: omnibus ita jugi tenore incubuit, ut, nihil prorsus valente Medicinâ, per univĕrsam ferè *Octiduum* vitæ mortisque momenta quasi æquâ lance pependerit: omnes tamen debitis intervallis cautionibusque iterata *purgatio* ita sublevavit, ut hâc planè medendi viâ ad sanitatem tandem pervenerint. Quidni ergo eadem in Variolis locum habere possit Medicina, ubi, iis jam ad maturitatem suam perductis, materia putris, sanguinis vias refusa, febrilem æstum commoverit? quem quidem nullo pacto conquiescere posse sæpe experimur, nisi ea aliquo modo foras iterum ex sanguine fuerit extrusa. Hoc ut commodè fiat, periti est Artificis: nam, uti occasio ipsa satis est præceps, ita tum iudicium in hâc re peracre, tum aliqua etiam exercitatio requiritur. Multæ quippe res id difficile inscio faciunt, quod usum habenti expeditissimum est. Is verò, qui hanc habet intelligendi sapientiam, facilè dispiciet, quas sequi cautiones, quæ tempora eligere debeat, ut hæc de Variolarum curatione præcepta ad præsentem morbum accommodet. Quæ tamen ita pro sua prudentia accommodabit, ut sæpissime quidem, ubi ad febrem depellendam ipsa per se satis valeat natura, interdum etiam ubi, Febre utcunque depulsâ, nihil ea prorsus valitura sit, purgantibus si non abstinentum, saltem parcius esse utendum censeat. Quippe ea, quæ de hâc Variolarum curatione differuimus, ad id periculi, quod à *Secun-*

dâ febre imminet, unicè collimant: de eo morbi genere, in quo febris infra mediocritatem subsisteret, & sponte propè suâ cessura sit, non loquimur. Nimirum Medicinâ hâc uti, nisi in malis vehementibus, supervacuum: in desperatis verò, ut importunum, sic & inutile.

Sed quid cum istis Opinatoribus, qui ne semel quidem hanc medendi rationem experti sunt, nec, si experiri nolint, unquam percipere possunt, argumenter ultra, ac differam? quid rationibus, in re admodum manifestâ, pugnem? ad *Experientiam* provoco: sit ea hujus, quicquid est controversiæ, moderatrix, atque arbitra.

His, quæ in Medentium, non in Nutricularum gratiam scripsi, ii, qui jam in Medicinæ curriculo versantur, mecum unâ, si ita lubuerit, utuntor: sin minus, per me licet, ea rejiciant. Mihi quippe cum captiosis hominibus disceptando tempus terere nec vacat, nec lubet. Etenim quod mihi superest ævi, non frivolis cavillationibus excutiendis, sed vitis hominum, quâ maximè possim viâ, conservandis unicè infumam. Consularem tamen, ut isti, qui nostra vel inscienter, vel malevolè insectantur, hæc, Medici quondam celeberrimi, *Fr. Valesii*, de *purgatione* etiam in *febris* locuti, verba diligentius perpendant.

„ Hic imprimis certabitur experimentis: Hi
 „ proferent sua, vidisseque se jurabunt haud du-
 „ biè felicissima: illi negabunt se vidisse ulla,
 „ nisi infelicissima. Hos ergo necesse est fateri,
 „ se aut plurimos tentando læsisse, aut nunquam,
 „ raròve tentâsse, sed ob juratam opinionem
 „ abstinuisse. Utrâque causâ, sunt indigni fi-
 „ de:

de: præterquam quòd jure sunt Testimonia *affir-*
mantium, quàm negantium efficaciora^v.

Sæpe utique nobis bilem, sæpe etiam & risum commovit ista futilium & (ita sibi videntur) *Philosopantium* hominum toties repetita oratio, quâ *Naturæ* semper obsequendum, *Naturâ* viam monstrante, eundum esse prædicant: quasi verò soli hoc scirent Artium omnium & literarum expertes; quasi ad hoc minùs valerent antiquorum scriptis adjuti, & disciplinis instructi. Quid aliud egerunt Viri ingenio & doctrinâ præcellentes, illi instaurandæ Medicinæ inter *Græcos* & *Arabas* principes, quam sibi proposuerunt studiorum metam, nisi ut id ipsum intelligerent, *Naturam* sequi: ita tamen sequi, ut arte eam, ubi opus esset, inflectere & regere possent? Nullus itaque ex eorum Vigiliis ad nos fructus redundabit? nulla ab eorum *Experientiâ*, *Historiis*, *Institutis* petenda sunt, in miserorum salutem, auxilia? Quoniam scilicet probi est Medici, id unum attendere, quid ipsa significet *Natura*. Næ illi, ita qui sentiunt, suo mentis acumini plus æquo confisi, *Naturæ* vocem haud facillè capient; neque quid illa indicet, neque quâ ope indigeat, neque quâ ratione sublevanda sit, intelligent.

Contemptis itaque hisce minutulis Philosophis, Tu, Vir Eruditissime, adhuc insistes eam, quam multâ cum laude jam diu institisti, viam: nec pudebit Te, quantumvis ingenii viribus valentem, quæsisse tamen undique adjumenta doctrinæ. Perges amplissimam illam, quâ instructus
 es,

v *Method. Med.* 4. 2.

es, librorum copiam perlustrare, & ut facis, plurima exinde in quotidianum medendi usum excerpere. Perges ex alienis laboribus, Tuo iudicio, acri illo & subtili fretus, non minus quam ex Tuis proficere: & si quid forte in his etiam chartis occurrat, quod velis proprium fecisse, (quanquam pauca occurrent, quæ non sunt jamdudum Tua) id, à quantulocunque licet *Au-*thore prolatum, haud aspernaberis.

Londini, Sept. 20. 1719.

Dum hæc Scriberem, Medicorum & humanitate maximâ & eruditione præstantium literas accepi: quas, qui totum hunc de *purgandi* ratione locum non minus accuratè quam eleganter illustrent, Tibi haud injucundas fore polliceor.



VIR ORNATISSIME,

UNAM, eamque, ni fallor, satis Notabilem promisi Tibi Historiam. Me tandem absolvo, atque unam aut alteram addendo, morarum mihi a Te excusationem facile polliceor, quas, nisi Valetudine meâ propriâ impeditus, non fecissem.

Ima Histor. Amabilis Juvenis, per aliquot menses, *Oxonii* grassantibus variolis, iisque mali fatis moris, vitam tutus degebat. Postulabant tandem subita negotia, longum iter ut faceret. Prædixi, eum, mutato aëre, insuperque

perque equitando, Variolis correptum iri; ideoque, primis urgentibus symptomatibus, omnino fuasi, Venam ut secaret, & Emeticum sumeret. Et sic se res habuit: Variolis Confluentibus correptus, Pharmacopœo solum adstante, usque ad diem *nonum*, nullâ ferè usus est Medicina. Ingruente verò periculo, Ego accersor: interea tamen Vir mihi Amicissimus Dr. *Burton* vocatus, cum fortuito in his esset partibus, ægrum invisit, eique *Cardiaca* quædam, Haustumque *Paregoricum* exhibuit, *Vesicatoriumque* Nuchæ apposuit. Die Solis, *decimo* ab Eruptione, manè veni. Tota ejus facies unica fuit Crusta, Pergamenæ vel Parietis albi potius speciem referens. Totum corpus ita Pustulis ubique Confluentibus obfitum est, ut nihil, nisi Pustulæ, cerni omnino posset. Vires tamen adhuc integræ. Urina copiosa, sputumque laudabile. Eodem die, *Oxonium* reversus est Dr. *Burton*, nil boni mihi de Ægro augurans. Vesperi valde exardere cœpit febris, maximaque supervenit inquietudo. A *Cardiacis* tunc omnino jussi adstantes desistere, & levè tantùm *Paregoricum* dedi. Manè paulùm somno videbatur recreatus; symptomata erant ferè, ut antea, nisi quòd Urinam, quam tunc & semper copiosè satis emisit, limpidam prorsus, & pallidam, sine ullo colore esse observavi. Phrenesin meritò suspicatus secuturam, ut apponerentur brachiis Vesicatoria, curavi. Infra tamen duas horas maxima supervenere deliria, & Phrenitis, ita, ut in lecto vix potuerit coerceri. Haustum præscripsi *Narcoticum*, intra sex horas, repetendum. Vesperi tandem, in eâdem

dem persistens Methodo, temperata debitis intervallis *Cardiaca* exhibens, omnia in melius mutata vidi. Adeoque usque ad diem 13^{ium} factis feliciter processerunt res. Ipsum sputum, ope *Gargarismatis*, non defuit: nec urina, licet adhuc pallida. Pustulæ tamen circa universum Corpus, manus & pedes, quas intumescere, & pure tunc impleri speraveram, jam omnino flaccidæ, vacuæque desederunt. Manè sponte *dejecit Alvus* usque ad *decies*. In sputo æquè ac in sedibus paululum sanguinis apparuit. Urina sponte, eoque nescio, excernitur. Frequentes Spasmi, Sopor, Coma, Deliria. Pulsus ita exilissimus, ut illum vix omnino sentirem. Uno verbo ita moribundus, ut tantum non mortuus esset.

Interea fluxit alvus vehementer, ita ut, exhibito *Rhabarb.* torrefact. gr. xx. in Haustu *Decocti Albi*, dicto citius, immutatum prorsus per Ventericulum & Intestina transfret. In arduo hoc rerum statu, *Bolum Stypticum* dedi, qui foeliciter suas partes agens, sistebat fluxum. *Vesicatoria* tibiis apposui, Haustumque dedi, è *Narcoticis* & *Alexipharmacis*, ad Naturam lassam paululum recreandam.

Melius, quàm speraveram, omnia evenerunt. *Vesicatoria*, ut prius, optimè respondebant. Somnum habuit, eumque non valde inquietum. Viresque videbantur aliquantulum redintegratæ. Die verò 14^{to}, manè rediit *Diarrhæa*: jus-
sique propinari *Tinct. Sacr.* ℞ ij cum *Syr. Rhab.* ℞ j: sic, ut natura Medicusque simul, intra xij horas, ei *alvum solverent quindecies*, *Cardiacis* interea non neglectis. Ipse etiam Tu, Vir Egregie, miratus forsitan paululum fuisses, si hanc
subitam

subitam felicemque omnium symptomatum mutationem spectasses. *Die 15^{to}*, Pustulæ in manibus & pedibus retumêre; & 16^{to}, separavit se Urina, bonumque nacta est colorem. Vespero tamen sponte fluxit alvus iterum; sumpto verò *Opiato*, requiem aliquot horam habuit Æger. *Die 17^{mo}*, rediit manè Ventris solutio. At cum bonas fortesque jam viderem ægri esse vires, protinus jussi dari *Catharticum* è *Decoct. Sen. Gereon.* & *Syrup de. Sp. C.* *Die* tandem 18^{vo}, è lecto surrexit. Jam periculo liber (oculis tunc primum à diebus tredecim apertis) debitis usus methodis, ad confirmatam rediit sanitatem. Hoc tamen credo rarò contingere, ut *intra dies quinque*, (à die *Mercurii* scilicet, ad noctem diei *Dominici*) ferè *centies solveretur alvus*.

II^{da} Histor. Mulier Variolis Confluentibus correpta est. Innumeræ in Cute apparuere Pustulæ, quæ tamen, nullo modo, ut debuerant, tumêre. Temperatis *Cardiacis* & *Anodynis* frustra per aliquot dies' usurpatis, *Die 5^{to}*, applicatum est *Vesicatorium Nuchæ*, quod feliciter cessit, Pustulæque rectè procedebant. *Die* verò 6^{to}, vesperi omnia ruebant in pejus, Cadebant Pustulæ: supervenit Micturitio: Urinæ involuntaria emissio, postea per horas triginta totalis suppressio: Delirium, Sopor, Pulsus exilis, & quid non mali? *Die 7^{mo}*, manè, duo Emplastra *Epispastica* applicata sunt brachiis, exhibito quoque temperato *Cardiaco*. Nihil fecerunt Emplastra: Vespero, alia duo tibiis apponi jussi; & *Cataplasmata* pedibus. Injectum fuit etiam *Enema*, sine effectu. Manè, 8^{vo}, nihil esse proficuum cernens, ac Pulsus vix,

ac ne vix quidem ullum sentiens, omnibusque adstantibus, de eâ planè actum esse, clamantibus, *Catharticum* exhiberi jussi: *Decoët. Sen Ger. ℥iij. Syr. de Sp. C. ℥j. Tart. Vitriol. ℥j. Aq. Mir. ʒvj.*; quo non operante, *Enema* aliud adhiberi jussi. Tunc quidem res peracta est, intra etenim sex horas vel octo, *sexies* vel *septies* largiter *dejecit alvus*. Mirum est dictu: *Vesperi, Vesicatoria* omnia optimè respondebant. *Ope Gargarismatis* provocatum est laudabile sputum. *Die* verò *iiimo*, *Pustulas* non omnino tumescere observans, *Ægramque* morbo adhuc planè oneratam, aliud *Catharticum* dedi, optimo cum successu. Nec postea mali aliquid minatus est morbus, nisi quod, in *Variolis* tam confertibus accidere debet atque etiam expectari.

III^a Histor. Ancillam curo nunc, in Casu perquam simili; nisi quòd *Vesicatoria* nullo modo partes suas egere. Adfuit spirandi difficultas, unde *Venam* secandam esse judicavi. Et à die *nono* ad *14^{um}*, quotidie *Catharticum*, aut *Enema* præscripsi. *Die 9^{no}*, *tredecies* soluta alvus. Sæpius quoque fumsit *Oleosam Mixturam* cum *Oxym. Scill.*, quæ sputationis vices fœliciter fatis sustinuit. *Dies* est jam *decimus octavus*, & à *Variolarum* periculo omnino liberam esse fatis liquidum esse judico.

IV^{ta} Histor. Puella fatis robusta laboravit atroci dolore capitis & dorsi, cum nausèâ & *Ventriculi* tensione, circa tempus, quo expectavit *Menses*. Istis verò non fluentibus, *Pharmacopola* per triduum *Chalybem*, cæteraque id genus dedit. Puellâ verò magis magisque querente, vocatus, tunc primùm apparentes facile cer-

ne-

nebam Variolas; venamque protinus secari jussi. Die 4^{to}, ingens descendit *Mensium* fluxus, & *Alvi*, qui per tres ferè dies, ad moderatè satis duravit: Territæ sunt foeminæ atque etiam Pharmacopola, & festinabant sollicitè hanc sistere, quam vocabant, *Diarrhœam*. Ego verò aliter judicans, contrarium suasi: nec omnino dubito quin tota puellæ salus in fluxu posita fuerit. Istâ viâ expulit Natura *Chalybem* adeo inopportunè adhibitum. Præterquam quòd, non facilè fore arbitror, alvi fluxum cohibere, nisi simul quoque *Menses* supprimantur. Nolo hic ratiocinari, sed ita se res habuit, ut per istos dies temperatis *Julapiis* & Liquoribus solummodo adhibitis, convaluerit Puella.

Nudas hæc Historias, Vir Optime, sic dimitto: si quid in iis sit notatu dignum, Tu abunde scis id observare. Miror tamen, tam Rationalem *Catharseos* praxin tot adversarios habere. Certè aut non legunt, aut non intelligunt. Omnes enim ferè, quos adhuc huic Methodo objicientes audivi, pro re concessã sumunt, quòd in omnibus Variolis, in febre *Secundaria*, *Catharsin* semper esse necessariam, asseratur. Utinam sanè adeò certa esset in Variolis Praxis ulla, quæ iis tam facilè mederetur, quàm *Cortex* Intermittenti feбри. Sed totum, quod de hæc Methodo asseritur, hoc est, quòd, *positis quibusdam Casibus & Circumstantiis, spes omnis est in Catharticiis*. Nolo te hic meis, Vir Egregie, interpellare ratiociniis: attamen credo, si rem bene perpendamus, eam totam ad universale hoc *Theorema*, demonstratu non perquam difficile, posse reduci: Viz.

Quod,

Quod, in omnibus omnium generum Morbis, U-
bicumque & Quandocumque adsit, vel immineat
Constipatio vel Plethora, ibi Catharsis rite peracta,
beneque disposita, semper sit non tantum tuta, sed
necessaria. In Plethorâ, (omnigenam Plenitu-
dinem Intellego) plerumque etiam necessaria est
Venæsectio. In febribus quidem Inflammatoriis, at-
que quibusdam Putridis, per Symptomata satis
liquidò innotescit Plethora. In Variolis verò
Confluentibus sæpius eludit Medicos. Dummo-
do etenim Variolæ suas agant partes, si rite
tumescant Pustulæ, si sputum, atque Urina co-
piose fluant, omnia bene procedere, nec ini-
què credunt. Nihil tamen frequentius est, quàm
talem ægrum, post Crisin diem unum vel alte-
rum repentinâ quasi morte occumbere. In Ple-
nis his, Oneratisque Casibus, utcumque optimè
procedant Secretiones, omnino necessaria est,
neque ea fera, Catharsis. Ipsa mera quantitas
Morbi facit Plethoram, & requiritur Exinani-
tio, Naturæ opitulatrix. Hoc Plethoræ genus
frequenter habet comites spirandi difficultatem,
Phrenesin, deliria, inquietudinem maximam,
somnique defectum: non rarò tamen, ob ip-
sam Plethoram, Pulsus lentissimum. Per Con-
stipationem intellego istum Animalis OEconomiaæ
statum, ubi Secretiones omnes, aut saltem quæ-
dam, non omnino, aut non rectè peraguntur.
Hoc nimis frequenter accidit ex nimio & per-
tinaci Calidicrum Alexipharmacorum usu, quæ
si, intra debitum tempus, suum non producant
effectum, non tantum frustra, sed cum certo
periculo semper usurpantur, idque non solum
in Variolis, sed & febribus Putridis, iisque
 præ-

præsertim mali moris. Sed & aliquando accidit *Constipatio* ex merâ Naturæ imbecillitate, ex tono fibrarum molli & laxato, malisque staminibus. In hoc casu tamen valet *Catharsis*.

Vta Histor. Nuperrimè Juvenis tenellæ hujus Constitutionis Variolis Confluentibus correptus est. Pulsus fuit exilis, vires paucæ. Jussi *Pulv. è Chel. Canc, C. ʒj* dari 8^{vâ} quâlibet horâ. Post duas doses, profluxit sanguis è naribus (licet Vena antea secabatur) usque ad ʒ xvj, & difficulter fatis tandem sistebatur. *Cardiaca* adeò temperata Vasa ejus tenuia non ferebant: sine *Cardiacis* tamen languebat. Urina semper largè fluebat, & sputatio. *Die 9^{no}*, ingruit delirium, sopor, & Pustularum totalis depressio. Nuchæ & brachiis apposita sunt *Vesicatoria*, quæ prodigum humorum ciebant fluxum; ea tamen non omnino sensit æger. *Die 10^{mo}*, *Vesicatoria* tibiis etiam apposui, quæ bene etiam cessere. Hæc tamen omnia Morbo non suffecere: vitam quasi traxit. *Die 12*, lene dedi *Catharticum*: quod, *die 14^{to}*, repetitum est. Et sic denuo convaluit æger. Ita ut hic Tenellus, qui nullum ferè Medicamentorum genus, præterquam *Anodyna*, pati potuit, *Cathartorum* ope evaserit sanus.

Quin etiam *Constipatio* non tantùm in *Crisi*, vel febre *Secundariâ*, sed quandoque etiam in initio accidit: Pustulisque tunc non recte procedentibus, cæterisque remediis non respondentibus, lene opportunumque *Catharticum* exhibendo, sæpius mala omnia abegi symptomata, quæ in *Crisi* tot minarentur *Tragœdias*. Hanc *Praxin* à *Patre* meo jamdudum didiceram, qui,

Meipso & aliis plurimis testibus, fœlici hanc cum successu sæpissime usurpavit. Et, reverâ, ferè semper mites evadunt Variolæ, quibus vel *Emeticum ex Ipecacuanâ*, ut solet, vel ipsa Natura in principio dederit aliquas *Alvi dejectiones*. Quam verò apta sint ad Pustulas protrudendas *Cathartica*, Meatus scilicet Cuticulares detergendo, Naturamque quasi emancipando, hoc breve accipe Exemplum. In Mense *Maji*, Ego febre correptus sum, (cujus Historiam non narro.) Post aliquot dies, febris videbatur soluta: Aliqua tamen suspicio Medicis oriebatur de eruptione Pustularum quarundam (vulgò *Rash* vocatâ.) Lecto igitur & sudoribus fui consignatus; admota sunt etiam & *Vesicatoria*. Post sex dies autem, Urinâ, Linguâ, Pulsu, febrem solutam indicantibus, nec tamen erumpentibus Pustulis, me surgere jusserunt Medici, proximoque die *Enema* injectum est, Alvo satis rigidè astrictâ. Intra diem unum vel alterum, *Catharticum* dedere, & *Vesperi*, Haustum *Paregoricum*. Lectum ingressus, dicto ferè citius, me sensi per totum corpus uri & vellicari, tanquam à *Vesicatoriis*. Sudore prodigo sum perfusus, qui per tres vel quatuor horas duravit. Deinde dormiebam. Manè me tot pustulis confertum vidi, quasi ipsis Variolis essem correptus, quæ quidem eruptio duravit vehemens usque ad duos *Menses*.

Uno verbo; simplex in suis semper est Natura viis, nec est quod agat Medicus, nisi ut eam sequatur. Quibuscunque verò placeant nimis Hypotheses, utcunque docti sint, in errores si incidant, non est mirum. Verissimum tamen est, quòd

quòd multi, maximi ingenii viri, Naturæ ductum non justè attendentes, symptomata pro ipsis morbis curare tentant, adeòque plures faciunt, quàm Natura, Morbos.

Errorque hic magnâ ex parte oritur ex confusâ in Libris plerisque Medicis *Diagnosticorum* farragine. Utinam verò Tibi, vel alio cuiquam in rebus *Mechanicis & Mathematicis* versatissimo, otium foret & voluntas *Notas Characteristicas*, & *Analogiam* Morborum seriò considerare. Atque mihi persuasum habeo, fieri posse, ut Morborum genera, earumque in plurimis Casibus *Specificæ Differentiæ* determinentur. Desideratissimum hoc opus diu sum meditatus, tandemque ad Umbilicum duxi. Illud autem legens pluries, relegensque, non tandem id esse repperi, quod optaveram, ideoque, quas meruit, dedicavi flammis. At ejus facti me nunc tandem pœnitet; quoniam, utcunque Operi impar, an- sam tamen alicui habiliori, ut idem perficeret, forsitan præbuissem.


Valeas, Vir magne, & meæ coram te tanto in Arte nostrâ magistro, loquacitati indulgeas, nimiumque festinanti scribere ignoscas. Diu, precor, hoc summo fruaris bonæ famæ Culmine, ut, omnes Docti & Boni, Te Amore & Veneratione, Omnes mali odio, Ignari invidiâ prosequantur.

Sum Tui Amantissimus,

E. Coll. Omn. Anim.

Sept. 10. 1719.

SEDGWICK HARRISON.



CUM ruri mecum de Evacuantium, & præcipuè purgationis commoditate, in Secundâ Variolarum Confluentium febre, differeres, meamque in hac re scire velles sententiam, Observationes jam aliquas, quarum veritati penitus inniti poteris, ad Te mitto.

I^{ma} Histor. A. D. 1703. Novemb. 17. Ad juvenem, annos circiter septendecim natum, accersitus sum. Variolarum Confluentium acerbiori, quàm unquam antea videram, genere laborabat. Illum *duodecimo die*, quantum memoriâ recolo, primùm invisi. Quo tempore febris Secunda vehementer sæviebat. Nullam à primâ morbi accessione dejectionem habuerat. Sensus omnes amiserat, quanquam Delirio vacaret: stupidus tamen & Comate oppressus jacuit. Admotæ sunt Vesicatoria. Mecum autem interea reputavi fieri planè non posse ut mortem evaderet, si tanta intrò maneret Excrementorum copia, quantam diuturno hoc tempore necessariò contraxerat. Itaque præcepi, ut *leni purgatione*, ex *Elect. Lenitiv.* in Aquâ aliquâ simplici dissoluto, uteretur. Medicina hæc effectum habuit mirabilem; nam adolescentis alvo *ter motâ*, tantam secum abduxit materiæ perquam fœtidæ vim, ut astantes omnes obstupescerent. Febris remisit: sensus rediere; & paulatim convalescens, sine aliis cujusvis Methodi ope, ad integritatem pervenit.

II^{da} Histor. A. D. 1717. Maj. 11. Ad Virum, triginta & tres annos natum, *decimo morbi die*, accessi:

accessi: postquam huic aniculæ Vinum Canarium Crocumque, ad excitandas, ut ajunt, pustulas, affatim ingesserant: Variolæ erant ex Confluentium genere, eoque haud vulgari. Febris ac Phrenitis ita sævierunt, ut in lecto à tribus quatuorve hominibus contineri vix potuerit. Itaque Sanguinem copiosè detraxi; unde febris ad duos vel tres dies haud ita multum imminuta est; quanquam aliqua ejus, si non intermissio, at remissio saltem esse videretur. In scripta Tua de hâc re nobilissima, nisi jam tum, haud incideram, unde in dubio hæsi, an viam à Te præmonstratam insisterem. Itaque *Corticem Peruvianum* ad duos vel tres dies præscripsi. Sed cum ab hoc parum auxilii perciperet æger, & *decimo quarto* jam die de vitâ periclitaretur, Vesicatoria adhibui: & præparatâ prius *Clystere* hominis alvo, & post ejus rejectionem, præcepto Anodyno, *purgationem* (primâ jam vice ex quo *Librum Tuum* perlegeram) institui. Hinc ad sanitatem rediit ille, quem omnes qui intererant morti adjudicârant.

III^{ta} Histor. A. D. 1717. Jul. 3. Curæ meæ commissus est infans, tres annos natus. Hic, quanquam Variolas comitaretur *Diarrhæa*, circa diem *decimum* vel *undecimum*, Secundâ febre graviter premebatur. Eum altero quoque die ad *quatuor vices purgavi*, priusquam febris discuti posset, quod tum quidem factum est, & infans brevi convaluit.

IV^{ta} Histor. A. D. 1717. Jul. 11. Juyenem, annos circiter sedecim natum, ab initio morbi curavi. Neminem unquam ita graviter laborantem, qui quidem superfuerit, vidi. Cognati ejus

omnes hoc morbo perierant. *Decimo* ab eruptione die, *Secunda* febris accessit. Paregorica, octavâ quâque horâ sumenda, præscripsi: sed nequicquam, cum mala per duos dies ingravescerent. Quare Vesicatoria apposui, *Enemata* frequenter præcepi, & præsertim inter purgationis dies. *Decimo tertio*, sanguis missus est, at sine fructu. *Decimo quarto*, purgatus est: vespereque, haustum sumsit Anodynum; Febris inhæsit, verum haud ita violenta. *Decimo sexto*, purgatione iterum usus est; unde febris intermisit. *Corticem*, & Anodyna adhibui; tamen adhuc revertebatur febris. Quamobrem res haud ex Sententiâ procedere animadvertens, cum & febrem immorari, & appetitum deesse perciperem, Experimentiâ jam paulò audentior factus, Aug. 2do, & morbi *vicesimo secundo* die, purgantia, refragantibus omnibus, rursus præcepi. Tum verò febris penitus excussa est, rediit cibi cupiditas, vires suas mirum in modum reparavit, brevique temporis spatio pinguis validusque evasit.

Vta Histor. A. D. 1717. Aug. 24. Ad Virginem, sedecim annos natam, *nona* morbi die, vocatus sum. Variolarum Confluentium verissimo genere ægrotabat. Febris *Secunda* jam tum urgebat. Qui curam ejus habuit, quidnam ageret incertus, consilii socium postulârat. Ego, quamprimùm accessi, *Enema* præcepi, quod maximam secum materiæ foetidissimæ copiam abduxit, & summum adolescentulæ levamen attulit. *Decimo*, post meridiem, *lenem purgationem*, ei ferè similem, cujus Dr. *Levett* in Literis ad Te datis mentionem facit, imperavi. Suum hæc ita præstitit officium, ut febris nunquam postea

revert

reverterit; quanquam Medicus, quo priùs ufa est, & Nutrix, me illam de medio sustulisse palam clamitaverint, quippe qui Praxi in Variolis, ut asserebant, nemini priùs tentatâ uterer.

VI^{ta} Histor. A. D. 1717. Decemb. 5. Ad Virum invisendum, qui annum agens tricesimum octavum ex Variolis decubuit, *undecimo* morbi die, nocte mediâ, siquidem astantes eum jam-jam moribundum esse arbitrarentur, excitatus sum. Ego antea, *nono* scilicet die, ad arcendum, si ita fieri posset, quicquid mali in flammato hoc & Confluenti, quo laborabat, genere jure expectandum erat (præterquam quod Asthmate vehementissimè, idque ferè continuo, premere-tur) *Enema* vesperi, & *Catharticum* proximo die adhiberi jusseram; quorum tamen neutrum factum est, cum à me novem mille passus degeret, utque adeò hæc ut fierent, uti imperaveram, curare non possem. Adveniens pulsus, maximâ cum admiratione, ita vehementem simul ac celerem deprehendi, ut similem nunquam antea senserim. Sensus omnes defecerant: neque hominem ullum, neque rem ullam cognovit. Pro-tinus itaque tria Vesicatoria apposui, *Catharti-cum* exhibui, sanguinem detrahi ad $\frac{3}{4}$ xiv jussi. Quamprimùm Vena incisa est, eâ violentiâ prorupit sanguis, ac si pertusa esset Equi Vena; eumque ad quantitatem suprâ dictam, intra ho-ræ minutum, effluxisse mihi certò constat. Intra horas tres, præsentis cœpit agnoscere; & post duas vel tres dejectiones, febris valde tenuata est, & proximo die, circa meridiem (horâ à Venæ sectione duodecimâ) prorsus evanuit; ho-mo autem non sine vicinorum omnium admira-

tione ad salutem perductus est.

Plurimos possem Tibi suprâ expositis casibus similes enarrare, nisi hos sufficere arbitrarer ad evincendum, quantum commodi præstet Evacuatio, & præsertim ea, quæ *purgantium* ope efficitur, in Confluenti Variolarum genere, cum Secunda Febris ægrotantem invaserit.

Id unum adjiciam: quòd, quantum observatione colligo, Venæ sectio, in suprâ memoratis casibus, nullo modo adhibenda sit, aut hominibus ætate provectoribus, aut fœminis Hystericis: siquidem isto modo eventum sæpius male cessisse comperi; res autem lenibus *purgationibus*, *Clysteribus*, *Vesicantibusque* ex toto committenda est. Et nuper quidem similibus casibus bis aut ter interveni, ubi animæ defectio & languor perpetuus, nullâ quicquam proficiente Medicinâ, ægrotantes usque ad mortem comitabantur.

Sum Tibi ex animo devinctissimus,

Ashfordiæ, Sept. 19.

1719.

JO. BATE.



JOHANNES FREIND,

M E D. D O C T.

A D

Celeberrimum Virum

RICARDUM MEAD,

D E

Quibusdam Variolarum generibus

EPISTOLA II.

EDITIO NOVISSIMA.

JOHANNES FREUND

M. D. D. O. C. C. L. X. V.

1715

RICHARDUM MEAD

Quaestiones Veterinariae

ELISTOLA II

ADIVS NONISIM



RICARDO MEAD,

M. D.

JOHANNES FREIND,

S. P. D.

CUM ex insperato mihi abunde otii
 suppeteret, & animus esset in his
 etiam rerum angustiis à nimiâ Sol-
 litudine liber, videbar mihi hoc
 quicquid est vacui temporis haud
 meliùs conterere posse, quàm si consueta reco-
 lerem studia, & pauca iis, quæ pridem à me de
Morbis acutioribus animadversa sunt, attexerem.
 Et id quidem libentiùs facio, postquam perce-
 peram ex eleganti illo, quem nuperrimè dono
 ad nos misit Cl. *Helvetius*, de *Variolis* libello,
 gravissimum hunc Scriptorem, vel nostris in me-
 dendo vestigiis, vel eâdem saltem nobiscum viâ
 instituisse. Etenim opus illud lectitavi aviditate
 cum majore dicam an voluptate: ita diligenter
 varia multumque inter se diversa *Variolarum* ge-
 nera persecutus est Vir & doctrinâ & experien-
 tiâ Medicâ instructissimus, ita sapienter omnem
 curandi rationem tradidit, ut quamplurima, in
 quibus

quibus hætenus ferè cæteri defecerunt, hic unus feliciter suppleverit. Sed ne hic quidem omnia ita exposuit, quin Tibi, Vir Amicissime, quasi fato quodam reservari videatur id provinciæ, ut, quod in manibus jamdudum esse scio, plenum nobis aliquando des absolutumque de *Variolarum omnium* naturâ atque discrepantiâ commentarium.

Hæc adeo ad te potissimum, non tam instituti præoccupandi Tui quàm provocandi gratiâ, perscribo: satis quippe habiturus unam aut alteram Historiam strictim attigisse, locum hunc Tibi integrum relinquam.

Discretum genus uti periculo vacuum esse, ita quoddam quasi novendiale opus, quod ipsa per se natura sine medicinæ auxilio expletura sit plerique tradiderunt. Id autem haud rarò longe secus esse, & experientia testatur & monuit *Helvetius*; qui hanc etiam intra speciem *malignitatis* notas subesse advertit, febremque assiduè inhærescere pro maligni humoris temperie diversam. Et hujusmodi quidem ille *Variolas* luculenter satis explicavit: sunt tamen & *interstinctæ*, quæ utcunque notis ab eo descriptis careant, salutem in discrimen ultimum adducunt.

Rem liceat exemplis firmare. Puerulus paulò plusquam undecennis correptus est *Variolis* ita benignis quidem, ut is, cum in totâ cute vix quadragenæ pustulæ exstiterint, lecti impatiens in cubiculo luderet quotidie atque obambulet. Nulla prorsus intercessit molestia, donec *nono* demum die pro more exarescerent papulæ.

Tum

Tum ex improvise febris vehemens excanduit; ita ut tum primùm accersitus eum & nervorum distentionibus exceptum & lethargo etiam laborantem invenerim. Uti ex *Variolarum* reliquiis, sive frigore sive quo alio casu in sanguinem resorptis, morbum hunc esse inductum arbitrabar, ita *Evacuantibus* præcipuè & *Vesicatoriis* curandi viam ingressus sum. *Septimum* adeò post diem, licèt non sine difficultate summâ, Febris, quæque ad illam accesserant mala, penitus abacta. Neque tamen is tragœdiæ finis: propius quippe aliud novum malum, nec opinatò exortum. Siquidem Nervi ita resoluti sunt, ut universi artus a Lumbis usque ad pedum digitos motum omnem amiserint. Neque eum ex hoc luctuoso casu aut ætas ipsa pullulascens, aut medicinæ ulla vis, nisi post experimentum semestri, expedivit. Humani scilicet corporis ea est infirmitas, ut aliquando etiam levissimâ labe contactum, vel errore vel incuriâ, maximis sit periculis opportunum: quare ille demum in morborum Scientiâ se plurimùm profecisse sciat, qui ne minima quidem contempsit.

Sed & in hoc *interstincto* genere, & multiplex pustularum varietas, & magna morbi dissimilitudo reperitur; ubi nonnunquam & *Febris*, non minùs ac in *Confluentibus*, intenditur, & periculum æquè minatur. Eam quidem, quæ, docente *Helvetio* ^b, ad *Tertianæ* normam accedit, & certo circuitu invalescit, in *discretis* nondum observavi. Est verò, ubi
ad

b 202. &c.

ad pus, uti oporteat, maturandum naturæ ro-
 bur haud sufficit: tantumque abest, ut *quarto*
 demum exacto die, papulæ colorem floridum,
 hoc est naturalem, induant, & humore denso
 atque concocto, qualis *puri* competit, extu-
 mescant, ut nihil præter laticem quendam pal-
 lidum, prætenuem, & pellucetem contineant:
 unde & hoc genus nuncupatur *Crystallinum*.
 Quod non modò ad *Confluentes Variolas*, ut
 vult *Helvetius* ^c, sed ad *discretas* etiam ali-
 quando pertinet. Est etiam ubi præ morbi,
 uti reor, cruditate, ne laticis quidem hujusce
 tantillum in cuticulam exudat: elevantur fo-
 lummodo, Vesicarum aut folliculorum simi-
 les, pelliculæ rotundæ, concavæ, vacuæ, mol-
 les: licet aliquando in solidius quid & corneo-
 lum indurescant. Cùm hoc idem a rei simili-
 tudine nomen plantis quibusdam indiderint
 Scriptores *Herbarii*, quidni hæc *Variolarum*
Species haud perperam a nobis dici possit *Si-*
liquosa. Est & aliud genus, de *Discretis* lo-
 quor, in quo neque pustulis aut lymphæ ulla
 illabitur, aut vacui quid spatii intermeat: quip-
 pe tubercula quædam protrudit natura, extra
 cutim utique extantia atque prominentia, sed
 quæ duritate (uti aliàs a indicavi) ad *Verru-*
cas simillima accedant. Hæ certè a *quarto* die
 ad extremum usque morbi decursum eandem
 faciem eandemque figuram immobiles tuentur.
 Malum hoc cùm sit haud adeò vulgare, exem-
 plo pariter insigni illustrabo.

Vir confirmatâ jam ætate atque maturâ, ægres-
 cere

cere sibi visus est, quasi ex suscepto frigore laboraret. Glandulæ, *Salivariæ* præsertim, obstructæ algoris ardorisque vices alternæ & repentinæ: artubus, & maximè capiti dolor, ilque acutissimus, inhærescens. Temporum pulsatio, auriumque tinnitus accessit. Ad hæc, quod vulgò in sinistrum omen nec injuriâ fortassè accipitur, animus formidine hanc ipsam ob causam perterritus. Sed *Evacuantibus* tempestivè adhibitis (in quo quidem ferè totius, quæ deinde secutura est, curationis cardo vertitur) melior rerum status; Variolæque quæ jam quasi in procinctu stabant, fatis leniter evocatæ. Earum color, qualem esse decebat, vividus; copia, si numerum spectes, ita non nimia, ut, cum distinctissimæ essent, perampla non in cætero tantum corpore, sed etiam in ipsâ facie intervalla relinquerent.

Tertius, a quo eruperint, dies aliquid levamenti attulit: ita ut, cum cæteris malis, etiam capiti decesserit dolor.

Quarto, omnes omnia bona dicere & salutem augurari: utpote ægroto, cum alia rectè processerint, a multitudine ipsâ parum periculi futurum. Neque aliud esse debuit Medicorum, qui tum *Experientissimi* aderant, præfagium. Nam *Variolæ* pro dierum ratione expulsiæ fatis feliciter grandescere cœperunt; sed dormiendi nulla facultas: & vesperi sanè res in deterius inclinata; siquidem mente sensim labascens, interdum aliena loquebatur. Eodem modo & *quintus* effluxit dies.

Sexto, idem pustularum color, eadem moles: par mentis agitatio errorque: nam licèt
ad

ad vocum vultuumque discrimina distinguenda fatis acer fuerit, deliranti subinde nulla garrandi fatietas. Oculi vitrei, scintillantes, & orbe perpetuo volutati; eorum vasa sanguine admodum tumescunt. Somnus, illud laborum omnium & sollicitudinum perfugium, prorsus aberat. Neque ideo in pulsu motus ille incompositus, quem tanta Vigiliarum obstinatio facile induxerit. Quin ex temperie corporis judicanti, Febris vixdum inesse deprehensa.

Nox proxima magnis in molestiis acta. Alia atque alia aut obversata oculis, aut vanas exterito ostentavere species: ita ut eum jam non intra verba desipere, sed furere omnino & bacchari diceres. Adeo neque escæ, neque potui, nedum Medicinæ locus fuit.

Septimo itaque, pustularum idem tenor. Sed neque illæ, neque vacuitates interpositæ ullo modo turgescabant. Puris ne gutta quidem apparuit. *Verrucas* planè agnosceres, alias sessiles, alias eminentes. Neque eas morbus proVectior vel minimâ quidem ex parte mutabat. Pulsus fatis valens, & ad normam quàm quis crederet adductior. *Petechiarum*, ut interdum solet, germinatio nulla: nullus Salivæ cursus, quem & in *Discretis* (secus ac vulgo traditur) ubi confertiores fuerint, aliquoties notavi: nulla ultra mediocritatem Urinæ fluxio. Ea quidem per integrum mali curriculum limpida, tenuis, inturbida; *Phreniticorum* scilicet propria. Adhibita sunt *Vesicantia*; *Clysteres* injecti: affixæ *Cucurbitulæ*: Sanguis demum ex *Jugulari* venâ detractus. Siquidem in hoc ancipiti casu, Venæ aperiendæ præciditur omnis deliberatio: neque

neque enim in pustulis, quod retrocedat, materiæ quicquam Pari modo ac in *Morbillis*, ubi *Pulmonum* inflammatio suborta sit, dum deflo-ruerint papulæ, frustra expectamus: quippe primo quoque arrepto tempore & quicumque is fuerit dies, si mederi volumus, Vena fidenter secanda. Is quidem expeditissimus *Reuellendi* modus: quamque cæteris, etiam iis quæ in *Pedibus* fiunt, præcelleat *Jugularium* sectio, ubi cerebrum afficitur jampridem fati^e ostendi.

Hac ultimâ quidem auxilii viâ, ad quietem est magis compositus: sic, ut astantibus obsequens, quicquid oblatum est assumeret. Sed nondum ulla mentis constantia: nec aut ineptire, aut etiam clamare desitum. Ita ad ultimum perstabat inanis illa loquendi profuentia. Accessit & hoc infortunii, quod *Soporiferis* utcunque in subsidium vocatis, somnum, uti *Pbreniticis* omnibus præcipuè necessarium, ita perdifficilem esse sentiremus. Vix enim ad horam unam aut alteram in *octonum* usque diem dormitum. Variolarum color etiamnum vividus: neque pallefcere inceptum, donec ferè ad extrema ventum fuerit. His adeò aliisque medendi rationibus frustra adhibitis, cum *triduum* inter tremores & deliria egisset, Febriculâ magis quàm febre occupatus, *decimo* demum post extrusas Variolas die, interiit.

Aperto capite, cerebri vasa ita extra modum undiquaque sanguine referta ac cumulata intumuerant, ut brevi certè periculum fuisset, ne rumperentur illa & dissilirent. Et quidem rum-
pi

^e *Comment. Epidem. 31. &c.*

pi sæpissime, ubi atrocitas morbi Caput præ cæteris corripuerit, docet Cadaverum Sectio.

Jamdudum advertis, Vir scientissime, quàm bene promiserit Species Variolarum exterior: nam sub initio & morbi materia modica subesse, & in signis nihil nisi salutare videbatur. Sed intus quàm contumax atque indomita fuerit malivis, fidem fecit infelix exitus. Ita vel in *discretis* cavebit Medicus, ne nimiâ sui fiduciâ, ob id ipsum quia sint *Discretæ*, periculum abesse pronuntiet: cùm sit etiam hoc in genere, quod summum ejus acumen exerceat, & Medendi facultatem, quantamcunque ille tenuerit, sæpius illudat. Quod ad has quas recensui species attinet, me sic intelligi volo, non de pustulis quibusdam *Discreto* generi hinc inde enormiter interjectis, sed ubi eæ universæ per cutim undecunque effusæ eandem formam induant eundemque tenorem conservent, mihi sermonem fuisse. Cùm hæc inquam semel fuerit pustularum conditio, sive eæ *CrySTALLINÆ* sint, sive *Siliquosæ*, sive etiam *Verrucosæ*, morbus rarissimè, quantum ego experiundo didici, periculo vacat. Tuum erit, quo maximè Artis auxilio Natura jam fracta atque impotens sic erigi possit, ut ægro ex his angustiis evadendi pateat via, explicare. Quippe siqui præjudicatâ opinione hanc vel illam medendi viam perpetuò esse tenendam putant, næ ii maximo sunt in errore. Oportet enim varium sequi curandi genus: modo *Cardiacis*, mitioribus saltem, insistere; modo ea ipsa negligere: interdum *Evacuantibus* rem totam committere, interdum iis non nisi parcius uti. Prodest in aliis casibus somnum quo-

cun-

cunque modo arcessere; in aliis, simillimis licet, hâc medicinâ prorsus abstinere. Est ubi præ cæteris ipsum *Variolarum* statum & tempora intueri convenit; est ubi id ipsum erit inutile. Siquidem frequenter his in rebus non modò ad *Pulsum*. (cujus quæ sit aliquando vis, ut alii nimis facilè negligunt, alii licet ei tangendo infenerit, ne intelligunt quidem) sed ad *Spiritum* maximè respicere debet peritus artifex; & inde potissimùm opitulandi indicia optima arripere. Tu, quâ es *Experientiâ*, hoc omne quicquid est siue difficultatis siue judicii expedies: id enim a Tuis lucubrationibus jure videmur expectare, ut, quemadmodum cæteri item hanc *Artis* subtilitatem consequantur, efficias.

Sed ad argumentum revertor. Variolis inter initia, & sub ipso etiam incremento, signum commune, *Delirium*: idque per se parum fatale. Sed hîc quoque advertis alium fuisse morbi cursum, neque, nisi *quarto* post pustulas exclusas die, *Pbrenitin* accessisse. Eam quidem, ubi hoc tempore post *Variolarum* exitum supervenerit, tam mali ominis notam censeo, ut, qui hoc periculo conflictatus ad sanitatem pervenerit, ferè neminem adhuc viderim. Hæc *Species* ab iis, quas *Discretarum* nomine adumbravit magis quàm expressit *Sydenbamus*, quàm longissimè absint, vides. Ille ferè non nisi benignissimas descripsit: in his, cùm morbi forma dissimillima sit & temporum momenta multùm diversa, alia itidem tenenda erit medendi ratio.

Restat & alia *Species Confluentium* quidem ut plurimùm comes, non tamen ita constanter propria, quin & *discretis* aliquando conveniat. Hæc

Variolarum omnium longè teterrima: eam intelligo, in quâ per corporis meatus, modò hos, modò illos, *Oris* puta, *Urinæ*, *Alvi*, &c effluit dissolutus sanguis. Vidi mulierem, cui citra molestiam ullam repente & uno quasi impetu eruperint Variolæ, *diſtinctæ* illæ quidem, licet numero haud mediocri. Per *biduum* omnia pro voto ceſſerunt; puſtulæ cùm fatis elevatae, tum coloratae & floridae. Sed unius noctis ſpatio, eæ ipſæ cunctæ in lividas & purpuraſcentes vertent, luſtuoſi nimirum exitûs prænuntiæ. Nam ſuborto per *Urinæ* vias Sanguinis profluvio, brevi extincta eſt.

Vidi etiam, ubi & in *Cohærentium* genere, & corpore inſuper robuſtiſſimo hoc exitiabile malum exiſtiterit. Ante eruptionem nihil ſingulare; communia tantùm Signa præceſſerunt. Protruſis variolis, omnia quieta; neque quicquam ei condoluit. Puſtulæ depreſſæ, ſic tamen ut extra cutim, *Verrucarum* more, eminent. Puris ne veſtigium quidem ullum. His autem aliæ hinc & inde interpoſitæ papulæ, tum *Cryſtallinae*, tum *Siliquoſæ*. Sed eadem proſus puſtularum facies ad *oſto* uſque dies conſtitit. Atqui nec tantillum febriculæ acceſſit. *Secundo* die, Sanguinem ore expuit, dolore omni & Tuſſi vacuus. Et hunc quidem jugiter curſum tenuit Sanguis, ut ſingulis diebus libra ad minimum profluxerit. Ille interim, ut ſuæ omnino mentis fuit, ita integer ſibi viribus videbatur. Sanguis ſemel atque iterum detractus: & adhibita illa, quæ, *Arabum* propria, ex *Aſtringentibus* atque *Acidis* conſtat, quæque huic geneti maximè convenit, medendi ratio nequicquam. *Oſtavo* quippe,

pe, alvus multum cruoris demisit: unde æger sensim collapsus, animam placidè expiravit.

At omnium in hoc genere, quibus interfui, notabilem imprimis minimèque vulgarem casum finas me Tibi paucis exponere. Mulier adultâ jam ætate cuique roboris multum suberat, ex morbo decubuit. Nam præterquam quòd Febris aliquantulum incalesceret, is dorso infimo inhæsit dolor, quasi Serrâ circumsecaretur: qualem in eâ morbi Specie, quæ a Medicis *Lumbago* dicitur, sentiunt *Rheumatici*. Neque per *triduum* de acerrimis hisce cruciatibus quicquam remissum. Tandem præter expectationem emicuerunt *Variolæ*, exiguæ, rutilantes, flammæ; confertæ quidem, ita tamen ferè paribus intermissæ spatiis ut inter se parum contingerent. Per *biduum* adeò pustularum in eodem statu permansio. *Tertio* autem, dolor omnis cum febre evanuit. *Quarto*, pustulæ paulò magis ad livorem inclinatæ: & tum vi multâ, tum copiâ ingenti per Urinæ itinera erupit Sanguis; neque malum hoc aut postridie, aut die perendino compressum. *Sexto* enim, cum jam prorsus exhausto Sanguine attererentur vires, unaquæque propè (quantum oculis sequi licuit) pustula, tanquam acu punctim incisa, se ultro dirupit: à quâ veluti à *Centro* minutissimi tractus, Sanguine interstincti, *Radiatorum* more, ducebantur. Itaque brevi mors, eâque minimè difficilis, subsecuta est.

Id autem in hâc Specie quasi perpetuum notavi, quòd licet modò sine molestiâ omni, modò non sine angoribus maximis prodeant *Variolæ*, ultimos tamen dies, & Febre & dolore

atque alienatione mentis omni liberos omnino extitisse. Sed heu! fallaces quietis induciæ, & inanis nostra omnis contentio! neque enim quisquam, quæcunque per medendum experimenta agerentur, quantum mihi saltem videre contigit, hujusce morbi difficultates eluctatus est.

Sed de acerbis hisce casibus plus fatis. Vereor enim, ne non tam Epistolam, quam libellum ad te mitti credas. Id autem unice volui, ut Tibi non nimium festinanti hos quasi quosdam stimulos admoverem. Multa habes de omni Variolarum genere, multa de earum vario cursu domi exarata; plura de optimâ curandi viâ ex tuo proprio penu potes adjicere: quæ adeo cum ab aliis ferè adhuc intacta fuerint, ut ea demum elucubrata atque perfecta nobis aliquando impertias, haud frustra de Te pollicemur. Vale. Vir Amicissime; & scias hoc mihi nunquam posse Fortunam, ut, quibuscunque in locis fuero, eam quam debeo, memoriam Tui conservem.

Mart. 30,
1723.

P. S.

Ego scribo hoc, cum permissione atque etiam indulgentiâ Præfecti, in præsentia *Warderi*: qui cum in Scribendo me non multum adjuvet, facit quod tibi gratum fore reor, ne longior sim.

INDEX RERUM

Cujus Numeri Capitales designant
ultimam Epistolam.

A.

- A**bscessus vel circa præcordia vel in pulmonibus sæpe
fiunt a variolis, 74
- Ægri* variolis confluentibus laborantes, omnia licet be-
ne procedant, unde post diem unum vel alterum re-
pentina morte quasi occumbunt, 96
- Alfaffabus* chalifa variolis periit A. D. 753. 58
- Alvus* cita quando a scriptoribus inter signa variolarum
maxime funesta ponitur, 45
- Alvus* in variolis quando subducenda. vid. Purgantia.
- Alvus* si sit fluentior in variolis, morbus plerumque fit
diuturnior, 45
- Alvi* fluxio sponte oborta, quare aliquando exitio fue-
rit, & quid tunc significat, 79
- Alvi fluxus* sponte excitati sæpe salutiferi in variolis,
91, 94
- Alvum* omni aut alterno saltem die vel clystere vel glan-
de subdita solvi præcipiunt nonnulli ex Arabibus, 45
- Alexipharmacorum* calidiorum in variolis & febribus pu-
tridis noxæ, 96, 97
- Angina* si adsit in variolis vel morbillis vena secanda, 21
- Arabum* plurimi in variolis primis morbi diebus alvum
leniri volunt, 45

B.

- B**olus cardiacus ad pustularum variolosarum eruptio-
nem promovendam, 12

C.

- C**ardiacæ in variolis quando præscribi possunt, 12,
36, 41, 44, 48, 77
- Cathartica* adhibita in variolis laborantibus, & qui ta-
men inde perierunt semper ad tempus aliquod fuerunt
levati, 79
- in ipso variolarum curriculo in usum trahere,
non suadendum, 45
- leniora quando sola in febribus conducunt, cal-

I N D E X

- que cutant, 86
- quando dare licet in variolis, quamvis has comitetur Diarrhoea, 201
- quare valde apta sunt ad protrudendas variolas, & alias pustulas, 98
- Cathartico* leni opportunoque sæpius abiguntur omnia mala symptomata variolarum, quæ in crisi minantur tragædias, 97
- Catharsis* in plenis oneratisque casibus variolosis, utcumque optime procedant secretiones, omnino necessaria est neque ea sera, 96
- rite peracta, & bene disposita in omnibus omnium generum Morbis, ubicunque & quandocunque adsit vel immineat Constipatio vel Plethora, ibi non tantum tuta sed & necessaria, 95
- Cicatrices* variolarum quoniam remedio amovendæ, 59
- Clyster* acris quando in variolis cohærentibus injiciendus, 14, 25, 37, 46
- Clyster* ad fluorem ventris nimium sistendum in variolis, 43
- Concoctio* acceleratur crudioris humoris purgatione sive sponte sive arte ea contigerit, 85
- Constipatio* aliquando accidit ex mera naturæ imbecillitate, 96
- -- -- ex nimio & pertinaci calidiorum Alexipharmacorum usu contingit, 96
- -- -- in variolis non tantum accidit in crisi vel febre secundaria, sed quandoque etiam in morbi initio, 97
- -- -- quid, 96
- Corticis* Peruviani abusus in febre variolis superveniente, 82, 95, 102
- Contrayerva* radice usus in variolis cohærentibus, 24
- Crocus* in variolis quomodo & quando potest exhiberi, 12, 24, 77
- Cucurbitularum* in variolis usus, 13, 14, 23, 26, 30, 47, 50, 52

D.

- D**ecocti Laccæ Lentiumque usus 59
- Delirium* in variolis quando fatale, c x v.

R E R U M.

-- -- -- variolis inter initia, & sub ipso etiam incremento, signum commune est, & per se parum fatale, cxv.

Diarrhœa non obstante, quando Catharticum in variolis exhibere licet, 201

Dysenteria in variolis vel morbillis, quando venæ sectionem postulat, 21

E.

Electuarii lenitivi usus in variolis, 76, 200

Emeticum ante variolarum eruptionem 91

Emetici usus in variolis, 98

Enema in variolis quando conducit, 13, 14, 25, 26
28, 29, 32, 33, 36, 38, 39, 44, 48, 49, 50,
52, 76, 77, 101, 102, 102, 103, 104

Enema mulieri gravidæ applicatum in morbo varioloso, instante partu 38

Exinanitio in variolis quando necessaria, 96

Euacuantia non obsunt tumori manuum neque sputationi variolis supervenienti, 33

F.

Febricula post variolas remanens, lactis asinini usu sublata, 53

Febrilis humor ubi ad fauces defluerit, purgandum, 83, 84

Febris aut ignis sacer, si capite vulnerato corripuerint, purgandum, 83

-- -- -- nonnunquam in variolis distinctis non minus ac in confluentibus intenditur, & periculum æque minatur C I X.

-- -- -- putrida quæ undecimo die, variolis confluentibus laborantes adoritur, ab ipsis variolis prorsus est diversa, & unde nascitur, 80, 81

-- -- -- quæ variolas paulo spissiores constanter sequitur, magnas excitat molestias, 82

-- -- -- remissioni nunquam sub variolarum exitu fidentum, & quomodo expugnanda, 82

-- -- -- si non cessat, vel alia gravia symptomata, cum apparent variolæ vel Morbilli, sanguinem mittere licet, 21

I N D E X

<i>Febri</i> si ortum dederint putridi humores purgatione vacuandi sunt,	85
<i>Febres</i> quædam sunt, quæ nullam fere aliam curationem recipiunt, nisi lenioribus Catharticis institutam,	87
<i>Fibrarum</i> tonus mollis & laxatus, quid facit in morbis,	97
<i>Furunculi</i> post variolas apparentes quid indicant,	42
G.	
G ravide mulieris variolis laborantis historia,	34
H.	
H auftus purgantes in variolis cohærentibus,	15,
	26, 29, 32, 37, 40, 46, 77
<i>Humores</i> putridi ubi febris ortum dederint purgatione vacuandi sunt,	85
<i>Hirudinum</i> applicatio ad venas temporales contra delirium in variolis,	53
I.	
I nflammatiõ summa si ingruat in variolarum maturatione vena secanda,	21
<i>Ignis Sacer</i> aut febris, si, capite vulnèrato, corripuerint, purgandum,	83
L.	
L acca Lentiumque decocti usus,	59
<i>Lactis</i> asinini usus ad febriculam tollendam, post variolas superstitem,	53
<i>Leihargus</i> in variolis vel Morbillis, quando venæ Sectionem requirit,	21
M.	
M ateria variolosæ acerrimæ pravus effectus,	34
<i>Manuum</i> tumor in variolis, purgantibus non evanescit,	80
<i>Medicina</i> in variolis cohærentibus non ad temporis mensuram, sed ad morbi momenta accommodari debet,	14, 15, 71
-- -- paulo calidior quando in variolis conducit,	11, 12
<i>Medici</i> munus est ut naturam sequatur,	98
----- Naturam ubi opus est, arte debent inflectere & regere,	89
	un-

R E R U M.

----- unde sæpe plures morbos faciunt quam natura.

----- officium est, ut ægrotantium vitas, quo usque
id arte efficere potest, protrahat, utcunque ad breve
tempus duraturas, 99

Medico non semper imputandus error si quando parum,
ex sententia cesserit rei exitus, 75

Mistura cardiaca in variolis cohærentibus, 78

Morbi quantitas facit plethoram, 25

Morbilli cum apparuerunt per unum diem, deinde de-

litescunt, tunc statim mittendus sanguis, 21

-- -- -- in una corporis parte, in altera variolæ dicun-
tur erupisse, 39, 40

-- -- -- si febris non cessat, neque alia gravia sympto-
mata, licet appareant; tunc statim sanguis mitti po-
test, 21

Morborum genera eorumque in plurimis casibus specifi-
cæ differentiæ quomodo possunt determinari, 99

Mors repentina in variolis confluentibus unde & quo-
nam præcipua morbi tempore accidit; 96

Mucilaginis ex Cydoniorum semine usus in variolis, 43

N.

Natura semper simplex est in suis viis, 98

Naris infimæ septi erosio a materie variolosa acer-
rima, 34

Natura quomodo & quousque in morbis curandis sequen-
da, 88, 89

Naturæ imbecillitas constipationis causa, 97

Nervorum resolutio a variolis discretis, CIX

O.

O*phthalmia* gravis in variolis & morbillis quando ve-
næ sectionem requirit, 21

Opiata in omni pustularum eruptione promovenda, opti-
ma, 12, 31, 32, 33, 37, 44

Opiatis non frigida inest vis, quæ humores constringat
& reprimat, 12

Opii ulus in variolis, 35

Opitulandi indicia in variolis, unde præcipue arripienda cxv

Oxymellitis usus in variolis, 77

Po-

I N D E X

P.

P apulae rubrae in ipsis variolarum interstitiis aliquando apparent,	39
<i>Paregorica</i> non semper optatum effectum praestant in variolis, & quare,	102
<i>Peripneumonia</i> notha quomodo a Sydenhamo fuit curata	86
<i>Phrenitis</i> quando mali ominis in variolis,	cxv
-- -- -- obstinata si adsit in variolis vel morbillis, venae Sectionem requirit,	21
<i>Plethora</i> in variolis fit ab ipsa morbi mera quantitate, & requirit exinanitionem,	96
-- -- -- quibus signis innotescit,	96
<i>Puerperae</i> variolis laborantis historia,	38
<i>Pulmonum</i> inflammatio si suboriatur in morbillis, vena statim secanda,	cxiii
<i>Purgandi</i> ratio in febribus putridis aliisque etiam, quae paulo difficilius solvuntur, ab omni retro antiquitate ad nos tandem defluxit,	83
<i>Purgandi</i> ratio quare in variolis feliciter opportuniusque exercetur in adultos, quem in impuberes,	78
<i>Purgantia</i> ad arbitrium possunt moderari in variolis, vel medicinae quantitate, vel longioribus intervallis exhibendo, vel ea quae sunt mitissima remedia,	80
-- -- -- in acutis & multis varii generis febribus saepissime ab Hippocrate fuerunt tentata,	83
-- -- -- in quibusdam casibus ab Hippocrate fuerunt adhibita	83
-- -- -- in variolis non modo noxa vacant, sed aegrotantium commodis apprime serviunt,	79, 80
-- -- -- in ulceribus quando exhibenda,	81
-- -- -- non nimis sero in variolis debent exhiberi, nec expectandum donec salus in praecipiti sit,	79, 80
-- -- -- omnibus saluti fuerunt in variolis, nisi in re, omnium iudicio, plane desperata,	78, 79
-- -- -- optatum effectum non semper praestare possunt in variolis,	77
-- -- -- quando in tumore jam in pus converso, vel pure educto profunt,	81
-- -- -- quando tuto possunt & debent exhiberi in vari-	ri-

R E R U M.

riolis cohærentibus,	13, 16, 25, 26, 29, 32, 33
	34, 37, 40, 41, 46, 47, 50, 51, 53, 54, 68
	70, 71, 74, 75, 67, 84, 87, 94, 97, 98, 100,
	101, 104, ad CXI
-- -- unde medici tantopere timent exhibere in variolis	80
<i>Purgantium</i> utilitatis recensio in variolis,	53
-- -- -- -- usus in variolis antiquissimus,	67
<i>Purgantibus</i> qualibus usus fuit Hippocrates in febris,	84
<i>Purgantibus</i> quando medicus potest abstinere in variolis,	87
<i>Purgatio</i> nona haud elapso die institui potest aliquando	
in variolis cohærentibus,	14
— præopere adhibita in tumore jam in suppurationem	
abituro quare nocet,	81
— quando in febris acutis conducit, si ad sui excretionem	
invitet materies,	83
<i>Purgatione</i> crudioris humoris, sive sponte sive arte ea	
contingat, acceleratur concoctio,	85
<i>Putrida</i> materies ubi corpori inhæserit, sola purgatione	
abducenda,	85

R.

R <i>babarbari</i> usus in variolis,	29, 34, 37, 40, 44
	50, 51, 53, 69
<i>Remedium</i> anceps præstat quam nullum,	75 & quare 77
— mirabile ad amovendas variolarum cicatrices a	
quonam descriptum,	59

S.

S <i>anguis</i> jam eruptis variolis, ex natibus aut ex uteris	
viis fluens, permultis salutiferum,	19
— omni tempore in variolis mitti potest, si adsint	
indicantia,	21, 34, 38, 46, 47, 48, 49, 50, 94
	96, 97, 103
-- -- quando ex jugulari vena detrahendus, CXII, CXIII	
— si vel adsit inflammatio vel plenitudo, etiam	
proruptis variolis, fidenter mitti potest,	18, 19
— statim mittendus si variolæ vel Morbilli apparuerunt	
per unum diem, & deinde delitescunt,	21
<i>Sanguinis detractio</i> per Cucurbitulas in variolis quando	
convenit,	13, 14, 23, 26, 30, 47 76

Sano

I N D E X.

<i>Sanguinis</i> dissoluti fluxus per varios corporis meatus, pessimum signum in variolis	CXVI
— excretionis per os ad libram singulis diebus in variolis, exemplum,	CXVI
— mictus in variolis brevi lethalis exemplum,	CXV, CXVI, CXVII
— missio in variolis ab Arabibus commendata,	59
— tractus minutissimi radiorum instar in unaquaque variolosa pustula observati,	CXVII
<i>Secretiones</i> unde non omnino, aut non recte peraguntur,	96, 97
<i>Septi naris</i> infimæ erosio a materia variolosa acerrima	34
<i>Sevi agnini</i> usus in variolis,	29
<i>Spiratio difficilis</i> in variolis venæ sectionem requirit,	21
<i>Stamina</i> mala quid faciunt in morbis,	97
<i>Sputatio</i> intercepta vel nulla quando pessimum in variolis cohærentibus signum,	14
— in variolis cohærentibus nulla observata,	13
<i>Sputorum</i> copia incredibilis in variolis cohærentibus,	31
<i>Sputationi</i> , neque tumori manuum obsunt evacuancia in variolis,	33
<i>Syrupi</i> de Meconio usus in variolis,	32
<i>Symptomata</i> pro ipsis morbis sæpe curantur, & quid inde mali,	99
<i>Symptomata</i> omnia mala in variolis, quæ in crisi tot minantur tragædias leni opportunoque Catharctico sæpius abiguntur,	97, 98

T.

T umor erysipelatodes si caput occupet in variolis vena sub lingua vel sub auribus aperienda,	21, 22
— — — manuum in variolis purgantibus non evanescit,	80
<i>Tumori</i> manuum nec sputationi obsunt in variolis evacuancia, probatur exemplo,	33

V.

V ariola ab Arabum usque imperio initia duxisse videntur,	55
— — — Arabum ætate aliquando lethales fuerunt,	57 58
— — — confluentes quando dicuntur bene procedere,	96
— — — confluentes rariores sunt in Germania quam in	An-

R E R U M.

- Angelia, 74, 75
 -- -- - crystallinæ quænam vocantur, cx.
 -- -- - discretæ non semper periculo vacare probatur va-
 riis exemplis, cviii. ad cxiv.
Variolæ & Morbilli cum apparuerunt per unum diem de-
 inde delitescunt, tunc statim mittendus sanguis, 21
 -- -- - fere semper mites evadunt in iis, quibus vel
 emeticum exhibitum, vel ipsa Natura in principio
 dederit aliquas alvi dejectiones, 97, 98
 -- -- - haud raro sibi invicem succedunt, 39, 40
 -- -- - interstinctæ multiplicem habent varietatem, &
 magnam morbi dissimilitudinem, civ.
 -- -- - nonnunquam & pustulis tum verrucosis, tum
 crystallinis, aliquando & corneis reperiuntur interstin-
 ctæ, 39, 40
 -- -- - sæpe denuo germinant, & recenti quadam so-
 bole succrescere dicuntur, 39, 40
 -- -- - siliquosæ quænam cviii. cx.
 -- -- - verrucosæ quænam, cx.
Variolarum materia purulenta viscera interiora aliquando
 occupat, 74
 -- -- - suppuratarum non eadem est ratio, quæ tumo-
 ris alicujus jam in suppurationem abituri, 81
 -- -- - varia genera ab Arabibus observata, 60, 61, 62, 63
Variolas curandi methodus, quare nulla certa datur, 74
 ——— curandi non semper eadem adhibenda metho-
 dus, cxiv. cxv.
 ——— in una parte, in altera morbillos erupisse obser-
 vatum fuisse scribitur, 39, 40
 ——— in quam regione exordia habere primo obser-
 vatum est, 56, 57
 ——— quis primus descripsit? 56, 57
Variolis accedens delirium quando per se parum fatale,
 & quando mali ominis, cxv.
 ——— confluentibus laborantes, unde & quando inpri-
 mis repentina morte occumbunt, 96
 ——— laborantium quidam casus, qui alvi fluxu spon-
 te excitato, curati fuerunt, 90, 91
Variolose materiæ accerrimæ prævus effectus, 34
Ve-

INDEX RERUM.

- Vena* quando nulla habita ratione diei in Morbillis secanda, cxii.
- quando aperienda sub lingua vel sub auribus in variolis, 21, 22
- Vena* secundæ consuetudo in variolis ab omni tempore, & ubique invaluit, si variolis licet prodeuntibus, malum adhuc ingravesceret, 22
- Vena sectio* in febre putrida variolis superveniente, a quibus maxime commendatur, 70, 80, 82
- Vena sectio* in muliere gravida, instante partu, instituta in varioloso morbo, 38
- in hominibus ætate provectoribus, aut fæminis hystericis variolis confluentibus laborantibus nullo modo adhibenda, 104
- in plethora plerumque necessaria, 95
- in variolis quare a plurimis perperam neglecta, 22, 23
- quando post variolas egressas institui potest, 18
19, 46, 47, 70, 100, 101
- Ventris* fluor etiam citra ægrorum exitium, in variolis aliquando potest consistere, 45
- Vesicantia* cruribus applicata, horum utilitas & necessitas in variolis, & omni fere febrium genere, 28
- carpi applicata in variolis cohærentibus, 13
- Vesicatoria* brachiis utrisque in variolis quando applicata, & quibus effectibus, 11, 23, 27, 34, 46, 47, 49
- infra Cubitum, & furis utrimque applicata in variolis cohærentibus, 24
- mulieri gravidæ applicata instante partu in variolis, 38
- tibiis applicata in variolis confluentibus, 97
- Vesicatorium* capiti tonso applicatum, quando in variolis cohærentibus adhibendum, 14
- nuchæ applicatum in secundaria variolarum febre, 13, 25, 27, 32, 33, 42, 46, 48
- Viscera* interiora aliquando occupantur a materia purulenta variolarum, 74
- Urina* quando ad crassitiem devenit in acutis febribus purgandum, Y. 84
- Y**pecacuanne usus in variolis, 98



